QUAESTIONES VERGILIANAE.

SCRIPSIT

PHILIPPUS SPITTA Dr.

GOTTINGAE.
APUD DEUERLICHIUM.
MDCCCLXVII.

1867

Vergilium de excolenda et locupletanda elocutione Latina egregie meruisse quum inter omnes homines doctos jam dudum constet, tamen si quaeres, qui potissimum in pernoscenda hac tam gravi re atque explicanda studia sua collocaverint praeter unum Wagnerum invenies fere neminem. Neque quae Wagnerus profecit quaestionibus illis Virgilianis summa cum diligentia eximioque mentis acumine conscriptis, talia sunt, ut jam res ex omni parte videatur ad finem perducta atque absoluta; immo multa se aliis reliquisse aut accuratius expolienda aut copiosius pertractanda quum ne ipse quidem negaverit vir doctissimus, tum non tam id egisse eum ut totam quasi syntaxin Vergilianam continua oratione persequeretur, quam ut singulis quibusdam enucleandis, quales sunt rationes pronominum particularum aliquot et praepositionum, maxime operam navaret, neminem praeteribit. Nescio igitur an non inutile sit, si ii qui nunc tam intenta ac felici opera aut in textu qui dicitur Vergiliano ad pristinam conditionem restituendo, aut in iis quae composuit poeta acute dijudicandis vel in universum explicandis elaborant, etiam in explanandas leges, quas secutus est, scribendi aliquid curae conferant. Interea autem ipse de usu quodam dicendi fusius disserere animum induxi, qui jam pridem tractationem paullo subtiliorem videtur desiderasse.

Atque spectat quidem quaestio ad eam rationem, ex qua, ut vulgari modo dicam, pluralis numerus usurpatur pro singulari. Quum enim observassent grammatici, haud raro poetas uti plurali, ubi indoles et ratio enuntiati unius rei significationem postulare videretur, id poeticae nescio cui licentiae condonandum esse rati statuerunt, solere illos in hunc modum numeros permutare inter se prout placeret. Quam sententiam non putaverim decere eos, qui naturam et ingenium totius cujusdam linguae cognoscere studeant, in omnes partes arboris instar large effusae. Namque inde non modo nihil intellegi, sed praecludi prorsus omnem intellegendi viam, quis est quin videat? Quamquam, quum afferri deberet aliqua certe causa, fuerunt, qui dicerent, indulsisse hac in

re poetas metri necessitati suavitatique euphoniae, quam Graeci vocant. At quanti aestimandus esset poeta, qui ad externa talia rite adsequenda inde subsidium peteret, quod notione quadam arctissime definita non solum negligenter abuteretur, sed in contrariam etiam partem eam summa cum violentia sexcenties detorqueret? Alii quidem opportunitate data de singulis quibusdam non male judicaverunt, praesertim si in commentariis accurate conscribendis ad talia quoque devenerant, sed in totam rem, quod sciam, ne apud unum quidem scriptorem adhuc quisquam diligentius inquisivit. Unde factum mihi videtur esse, ut et plurimis locis multum de pulchritudine sermonis Vergiliani detraheretur aut id quod indicare studuit poeta minus accurate perspiceretur, et fraudatus sit homo summi ingenii laude quam de excolenda et conformanda oratione poetica praeter ceteros meruit. Namque hercule, si quis nostrorum aliquem poetarum in sermonem alienum convertens maximam adjectivorum ornantium partem, quae quantum faciant ad elocutionem excitandam acdistinguendam vel ex Schillero nostro cognoscas, aut prorsus omitteret aut ad tenuem vim debilitaret, nemo, credo, hanc rationem ut rudem et barbaram non respueret. Quid vero? si apud Vergilium saepissime numero plurativo posito adjectivum significetur, quod notioni distinctius indicandae atque extollendae inserviat? quid, si portus idem fere sint ac tutus portus, volnera ad volnus letale quam proxime accedant, ora saepe ab ore lato et rustico haud multum discrepent? si in enuntiato quod est: caelestia corpora, non ex caelesti solum adjectivo sed ex plurali quoque notio originis divinae intellegenda sit? Porro quis nondum miratus est, Vergilium Aen. IV, 61 seqq. pastorem nescium, id est: non conspectum, agentem facere cervam telis, quum unum telum in latus adactum esse ex iis quae continuo sequuntur eluceat, ita ut nullo modo intellegatur, quomodo senserit cerva pastorem sibi instantem, omnia vero facili negotio expediantur, dummodo tela saepius pro telo acuto dici teneatur. Jam vero sic parcissimis modis plurimum conferri ad locupletandam orationem Latinam quum exemplis quae modo tetigi appareat, tum iis quae exim disputaturus sum uberrime probatum iri spero. Atqui ea maximam partem Vergilio nostro deberi ii cognoscent, qui quum legerint disputationem nostram ad eorum locorum paucitatem intenderint animos, quos ad illustrandos Vergilianos ex Catullo collegi. Catulli autem, qui proximus sit eorum qui antea fuerunt poetarum, elocutio pro hac ratione a Vergilii proxime abest. Atque ut unum alterumve verborum, quibus pluraliter utitur Vergilius, jam apud priores usitatum fuerit, tamen longe majorem numerum proprium esse nostri poetae constabit.

Sed tota haec de numero plurali quaestio quum satis infinita sit, accuratis verbis argumentum disputationis indicare liceat. Constitui igitur apud animum de omnibus iis disserere verbis, quae quum exhibeant speciem numeri pluralis, tamen re ipsa retinent notionem singularem. Quare nihil nostra intererat perscrutari nec quomodo quandove infinitae notiones per metonymiam quandam transferrentur ad finitas, ita

ut jam pluraliter cogitari possent, nec ubi res ad plures una referretur, quippe quarum utraque ratio et ad poetas et ad prosarios scriptores pertineret, quamquam ab ea quam posteriore loco dixi Vergilius certe saepissime recedit. Atque ut in omni quaestionum genere ea semper habetur via certissima, qua ab apertis paullatim ad impeditiora adscendatur, ita ab iis putavi initium repetendum esse, quae ex natura linguae Latinae facillime possint explicari. Quod si quaerimus, cur ad unam rem designandam plures ejusdem generis conferantur — etenim novi aliquid notioni addi ea re quod pluralis ponatur utique tenendum est — quantitatis augendae causa id fieri posse nemo non intelleget, neque, si considerabitur, Romanos in universum sermonem magis ad externam rerum vim ac speciem adcommodasse indeque modos desumpsisse, quibus in aestimandis omnibus rebus uterentur, sine aliqua ratione numerum plurativum etiam ad interiorem rerum naturam et indolem acuendam extollendamque adhiberi posse facile colligetur. Qui erit primus disputationis locus. Dein vero procedamus ad largiorem eorum verborum copiam, in quae quum neutra rationum modo prolatarum prorsus cadat, alia circumspicienda sunt explicandi subsidia. Videbimus igitur Vergilium, quoniam intellexisset hoc numeri usu facultatem sibi datam esse elocutionem suam vividiorem uberioremque docte reddendi, non solum ad gradationem totius cujusdam notionis usurpasse pluralem, sed etiam ut ad certam quandam notionis proprietatem adgnoscendam animos audientium vel legentium adduceret impelleretque.

His ita propositis apparet aliam prorsus me ingredi viam atque Wagnerum, qui quum et ipse putet accuratas in usum pluralis observationes incredibile esse quantum ad intellegentiam poetici sermonis conferant, in quaestionibus Virgilianis (pag. 408 seqq.) summa ut solet diligentia de nonnullis vocabulis exposuit, quae a Vergilio saepissime pluraliter ponuntur, sed quae fere omnia significationem proprie pluralem exhibeant. Quo factum est, ut inde parum fructus perceperim. Ceterum ne quis objiciat, in afferendis exemplis ubique parcius me egisse, nolui nisi paucis locis unam quamque rem in universum illustrare, quum ad inceptum meum parum pertineret quoties hoc illudve enuntiatum apud Vergilium legeretur, quod relegandum esse duco Lexico Vergiliano, si quis quondam conscripturus est. Neque in comparandis aliis scriptoribus multus fui. Ut enim Vergilius nonnulla scripserit, quae simili modo a Graecis dici noverat, sicut ora (cf. Xenoph. Anab. II, 6, 11 et quae adnotavit Kruegerus), speluncas (cf. Hom. Od. I, 73) alia, tamen totus hic pluralis usus tam justa ratione ex ipsius linguae Latinae indole expeditur, ut subsidio alieni sermonis non opus sit. Ex Romanorum vero poetis cur Catullum in auxilium vocaverim quum supra jam indicatum sit, de Ovidio frequentia exempla ideo me attulisse fateor, quod haud raro per hunc demum ad rectam cujusdam loci Vergiliani explicationem adductus sum. Quum enim pluralis usus, ut qui multo commotiorem redderet orationem, rhetorico cuidam studio egregie faveret, is videbatur imprimis adeundus esse poeta, qui

inter omnes illius temporis vel maxime rhetoricae indulgeret. Neque aliter explicatur, cur in Aeneide multo magis valeat ille mos dicendi, quam in Georgicis Bucolicisve.

Restat ut verbo iis obsistam, qui quoniam ad plura verba variae explicandi potestates datae sunt, nonnullis fortasse locis impugnabunt eam quam statui significationem. Sciant vero illi ubique me in verbis ad certos ordines digerendis analogiam secutum esse, unde, si quid video, hujuscemodi in rebus unica norma petenda est. Nec tamen is sum, qui de unoquoque loco rectissime judicasse mihi videar, nec si de nonnullis alii in alias partes discesserint aegre id feram, quum ad verum penitus intellegendum pro parte virili fecisse satis habeam. Ac si supra negavi usum illum numeri pluralis metro vel euphoniae remittendum esse, tamen id non ita acceptum velim, quasi diffitear aliquoties et his rebus commotum esse scriptorem ut hanc illamve formam usurparet; immo cur plerumque a genetivis primae secundae tertiae declinationis, a dativis et ablativis tertiae abhorreat, nulla fere alia videtur exstare causa. At vero nunquam usurpavit, nisi per veram vocabuli indolem id licuit. Sed jam ad opus adcingamur.

§. 1.

1. Haud ita multa sunt, quae ad quantitatem notionis augendam pertinent, neque huc trahenda esse putabam nisi ea in quibus haec significatio clarissime appareret, cujus rei causam initio paragraphi secundae attuli. Sunt autem primum ora. A. V, 369: „Nec mora: continuo vastis cum viribus effert Ora Dares magnoque virum se murmure tollit.“ 477: „Dixit et adversi contra stetit ora juvenci — durosque reducta Libravit dextra media inter cornua caestus,“ quorum utrique loco convenit notio lati ingentisque oris. De eodem tauro, qui praemium pugilibus propositus erat, dicitur 385: „Ducere dona jube“ et 391: „Tantane tam patiens nullo certamine tolli Dona sines?“ Ceterum id quoque, quod legitur A. X, 415: „saxo ferit ora Thoantis“ in hanc rationem cadere videtur, quamquam fatendum est, interdum non posse certo intellegi, quid spectaverit scriptor, propterea quod ora haud raro etiam vultus oris significant, atque aliquoties talibus quoque locis usurpantur ubi ipsos vultus clare distingui parum interest. Sed de hoc usu multisque aliis proprietatibus vocabuli infra videbimus. — Sequuntur terga. A. VI, 422: „ille (Cerberus) fame rabida tria guttura pandens Corripit objectam atque immania terga resolvit.“ Catull. 63, 81: „Age caede terga cauda, tua verbera patere“ (de leone). Aliter statuendum erit de tergis serpentis, vel iis quae vestimento inserviunt, de quibus alio loco agetur. — Dein colla. A. II, 721: „Haec fatus latos humeros subjectaque colla Veste — insternor.“ XI, 692: „Buten aversum cuspide fixit Loricam galeamque inter, qua colla sedentis Lucent et laevo dependet parma lacerto.“ Intellege cervices ingentes; namque fuit et Butae maximum corpus (cf. 690), neque bene dici potest lucere nisi latas, fortasse et pingues cervices. Ovid. Met. II, 854: „Colla toris exstant;“ XIV, 283: „Colla tumere toris.“

A. XI, 497: „(equus) Emicat arrectisque fremit cervicibus alte Luxurians, luduntque jubae per colla per armos," ubi patet esse colla eadem quae antea vocentur cervices arrectae. VII, 701: „longa canoros Dant per colla modos" (cycni). Ne opineris colla dicta esse, quia de pluribus cycnis res est, comparandus erit locus qui est IX, 436: „longo papavera collo;" licet enim res ad plures referenda sit, tamen Vergilius saepissime singulari utitur, ad quam dicendi consuetudinem in §. 2 multa collegi exempla. Sic etiam in iis quae legimus VII, 394: „Deseruere domos, ventis dant colla comasque" pluralis non ponitur propter plures matres, sed humeros pectus quoque nudata indicat, qualis esse solet Maenadum habitus. Ov. M. II, 673: „utque vagi crines per colla jacebant, In dextras abiere jubas;" III, 169: „sparsos per colla capillos." Denique A. X, 838: „ipse aeger anhelans Colla fovet, fusus propexam in pectore barbam" collorum vocabulo simul et caput significatur, omnino summa corporis pars, neque is quem attulit Ladevicus locus Ovidianus aliter explicandus est. Singularis vero numerus locum habet, si collum in universum respicitur. X, 135: „Qualis gemma micat, fulvom quae dividit aurum, Aut collo decus aut capiti." — Verbum quod est pectora quum A. VIII, 267: „voltum villosaque saetis Pectora semiferi" (Caci) sine dubitatione ad amplificandam quantitatem usurpatum sit, cetero quin non ita invenitur positum, ut haec notionis vis facile adgnoscatur. Nec tamen ambigi potest, proprie tale quid tamquam finem spectavisse poetam, nimirum ut in universum notionem magis extolleret vividioremque redderet. Sic I, 355: „Crudeles aras trajectaque pectora ferro Nudavit" notio nudandi, VII, 349: „Ille inter vestes et levia pectora lapsus Volvitur" notio volvendi hoc plurali acuitur. IV, 673. XI, 86. IX, 432. Singularis ponitur, si ablativum vel dativum desiderat oratio, cujus rei causam supra tetigi. A. IX, 347: „Pectore in adverso totum cui comminus ensem Condidit." Atque poterat sane indulgere hac in re poeta metro vel sono, quum plerumque nullum discrimen intersit inter hujus vocabuli singularem atque pluralem nisi rhetoricum. Quod tamen uni huic vocabulo factum esse apparebit.

Transeamus ad aliud verborum genus. A. II, 626: „Ac veluti summis antiquam in montibus ornum Cum ferro accisam crebrisque bipennibus instant Eruere agricolae." VIII, 53: „Delegere locum et posuere in montibus urbem Pallantis proavi de nomine Pallanteum." I, 61: „molemque et montes insuper altos Imposuit," quo loco parum recte Ladevicus de pluribus montibus cogitat, quum sint montes alti idem fere ac mons altissimus. VIII, 653: „Stabat pro templo et Capitolia celsa tenebat," quibus propter commune adjectivum continuo potest adjungi I, 183: „Aut Capyn aut celsis in puppibus arma Caici." — IX, 575: „summis stantem pro turribus Idan." — II, 615: „Jam summas arces Tritonia (respice) Pallas Insedit." III, 110: „nondum Ilium et arces Pergameae steterant." VIII, 375: „Dum bello Argolici vastabant Pergama reges Debita casurasque inimicis ignibus arces." VII, 61: „(laurus) Quam pater inventam, primas cum conderet arces, Ipse ferebatur Phoebo sacrasse

Latinus." Sed arcem etiam omne cacumen designare vel montis vel collis cujusdam constat, velut G. II, 535 septem colles Romae dicuntur septem arces. A. III, 553: „attollit se diva Lacinia contra Caulonisque arces et navifragum Scylaceum." VI, 9: „At pius Aeneas arces, quibus altus Apollo Praesidet" cet. VII, 696: „Hi Soractis habent arces Flaviniaque arva." At si arx quaedam certa intellegitur, dubito an singularis usitatior sit; sic de arce Capitolina VIII, 657: „Galli per dumos aderant, arcemque tenebant." 652: „In summo custos Tarpeiae Manlius arcis." 357: „Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit arcem" (sic enim videtur legendum esse); quamquam ne hac quidem in re sibi constiterunt poetae, quum Horatius carm. I, 2, 3: „rubente Dextera sacras jaculatus arces" scripserit, neque quicquam aliud videatur intellegendum esse, nisi arx Capitolina. Ceterum saepius quum aliis tum ea causa ponitur singularis, ut ingrati genetivus dativus ablativus pluralis numeri devitentur. A. II, 165: „Fatale adgressi sacrato avellere templo Palladium caesis summae custodibus arcis," hoc loco jam ad acuendam notionem summae pluralis admodum aptus fuisset. III, 531: „templumque apparet in arce Minervae." VI, 17: „Chalcidicaque levis tandem super astitit arce." VII, 70. VIII, 1. IX 86. Vel soni jucunditatem secutus est poeta. I, 250: „Nos, tua progenies, caeli quibus adnuis arcem." 366: „ubi nunc ingentia cernes Moenia surgentemque novae Karthaginis arcem." II, 226: „dracones Effugiunt saevaeque petunt Tritonidis arcem," scilicet ut sibilum evitaret. Rursus aliis locis, ubi numerus plurativus invenitur, re vera adgnoscendae sunt plures. I, 20: „Progeniem sed enim Trojano a sanguine duci Audierat, Tyrias olim quae verteret arces." 298: „Ut terrae utque novae pateant Karthaginis arces Hospitio Teucris." 420: „Jamque ascendebant collem qui plurimus urbi Imminet adversasque adspectat desuper arces." VI, 774. X, 12. G. II, 172. — XI, 526: „Hanc super e speculis summoque in vertice montis Planities ignota jacet." IV, 586: „Regina e speculis ut primam albescere lucem Vidit." VII, 511: „At saeva e speculis tempus dea nancta nocendi Ardua tecta petit stabuli." Pluralis hic, quum proprie significet speculam altam tum etiam id spectare potest, quod speculae altitudine efficitur. Atqui si quis in alta specula se collocat id agit, ut nihil oculorum aciem effugiat. Excitat igitur pluralis in animis legentium notionem alicujus qui cum summa animi contentione circumspectat. — G. II, 307: „inde secutus Per ramos victor perque alta cacumina regnat." A. IV, 462: „Solaque culminibus ferali carmine bubo Saepe queri" cet. — II, 758: „Ilicet ignis edax summa ad fastigia vento Volvitur." 302: „Excutior somno et summi fastigia tecti Ascensu supero." 458: „Evado ad summi fastigia culminis." VIII, 491: „Obtruncant socios, ignem ad fastigia jactant." IX, 408: „sacra ad fastigia fixi." Atque quod etiam VIII, 366: „Dixit et angusti supter fastigia tecti Ingentem Aeneam duxit" pluralem invenimus, quamquam de angusto tecto agitur, id inde explicandum est, quod vocabulum fastigii per se ipsum gradationem quandam continet, ita ut, pro ratione nimirum, etiam de fastigiis exiguae domus dici possit. — IV, 666:

„it clamor ad alta Atria." XII, 474: „pinnis alta atria lustrat hirundo. — VI, 41: „Teucros vocat alta in templa sacerdos." II, 225: „At gemini lapsu delubra ad summa dracones Effugiunt," ad altitudinem aut templi aut montis in quo situm erat templum referendus est pluralis. Observandum vero, saepius ad substantivum accedere adjectivum aliquod, quale altus summus celsus, quippe quod quantitatem accuratiore modo jam designet, ut numerus augendo adjectivo inserviat tantum. Ac nescio an et summo adjectivo effectum sit quod legitur X, 476: „Illa volans humeri surgunt qua tegmina summa Incidit" et insigni vocabulo illud quod est X, 21: „Cernis ut insultent Rutuli Turnusque feratur Per medios insignis equis," si modo integer est versus. — II, 483: „Apparet domus intus et atria longa patescunt." Ov. Met. IV, 763: „reseratis aurea valvis Atria tota patent." A. II, 528: „per hostis Porticibus longis fugit." — I, 427: „hinc lata theatris Fundamenta petunt alii" (Ribb.). — VI, 19: „Redditus his primum terris tibi, Phoebe, sacravit Remigium alarum posuitque immania templa." III, 84: „Templa dei saxo venerabar structa vetusto." VI, 840: „Ultus avos Troiae templa et temerata Minervae." Haud longe abesse interdum quantitatem a qualitate ex hisce exemplis cognoscas; nascitur enim ex magnitudine templi notio magnifici sancti solennisque, id quod ad ultimum imprimis locum gravissimum est propter oppositum vocabulum quod est temerata. — II, 445: „Dardanidae contra turris ac tota domorum Culmina convellunt." — I, 726: „It strepitus tectis vocemque per ampla volutant Atria." II, 528: „vacua atria lustrat Saucius." VII, 379: „turbo Quem pueri magno in gyro vacua atria circum Intenti ludo exercent." — VIII, 137: „Electram maxumus Atlans Edidit, aetherios humero qui sustinet orbes," vult caeli orbem amplum et immensum poeta, neque dubito quin eodem modo accipiendum sit quod invenitur IV, 451: „taedet caeli convexa tueri," redit VI, 241: „talis sese halitus atris Faucibus effundens supera ad convexa ferebat," porro 750. X, 251. — Denique de profundo. VII, 91: „atque imis Acheronta adfatur Avernis." II, 611: „(Neptunus) Fundamenta quatit totamque sedibus urbem Eruit." G. II, 53: „Nec non et sterilis quae stirpibus exit ab imis Hoc faciat." 209: „Antiquasque domos avium cum stirpibus imis Eruit," quamquam hoc loco etiam de pluribus cogitari possit. cf. Ov. Met. II, 655: „suspirat ab imis pectoribus." 761: „imis in vallibus."

Sequuntur alia. A. IX, 683: „Inrumpunt aditus Rutuli ut videre patentis." 693: „perfertur nuntius hostem Fervere caede nova et portas praebere patentis," intellege: late patentem aditum, late patentem portam. Sed subinde quod legitur: „Dardaniam ruit ad portam fratresque superbos" euphoniae causa videtur factum esse. cf. Ov. Met. III, 74: „Spumaque pestiferos circumfluit albida rictus," rictum latissime hiantem. 674: „lati rictus." — A. VIII, 712: „Contra autem magno maerentem corpore Nilum Pandentemque sinus," nostratium: seine Arme weit öffnend, quamquam alius quoque explicandi modus adhiberi potest, de quo infra agemus (§. 2: terga). — A. I, 14: „Italiam contra Tiberinaque longe Ostia." III, 688: „vivo praetervehor ostia saxo Pan-

tagiae Megarosque sinus.“ I, 400: „Haut aliter puppesque tuae pubesque tuorum Aut portum tenet aut pleno subit ostia velo.“ V, 281: „Vela facit tamen et plenis subit ostia velis.“ In duobus ultimis enuntiatis pluralem incrementum facere cogitationi, quae plenis velis oritur, patet, ut existat notio facile et expedite subeundi. G. IV, 467: „Taenarias etiam fauces, alta ostia Ditis“ non putaverim alto vocabulo adductum esse Vergilium ad pluralem ponendum, quum notio profundi in ostio omnino non insit, sed hic quoque latitudo spectatur, id quod haud parum facit ad augendum horrorem (das tiefhinabgehende, gähnende Thor der Unterwelt). Nec dubium, quin eadem causa dictum sit VII, 568: „Hic specus horrendum et saevi spiracula Ditis Monstrantur.“ VI, 109: „Ire ad conspectum cari genitoris et ora Contingat; doceas iter et sacra ostia pandas.“ Catull. 61, 227: „Claudite ostia virgines.“ Ov. Met. III, 162: „Fons sonat a dextra tenui perlucidus unda Margine gramineo patulos incinctus hiatus.“ Sed A. VIII, 667, ubi invenitur: „hinc procul addit Tartareas etiam fauces, alta ostia Ditis“ mihi quidem persuasum est, haec tria vocabula a Vergilio profecta non esse, sed ab aliena quadam manu e G. IV, 467 huc translata. Neque enim sedes Tartareae, de quibus in §. 2 paullo fusius exponemus, eaedem dici possunt alta ostia Ditis, ac si ita intellegere velles, ut Volcanus praeter Tartara ipsa aditum quoque ad inferos in clipeo effinxisset, primum id accuratius indicari debebat, quum multae essent fauces, per quas ad inferos descendi posse putabant, deinde, ni fallor, tale enuntiatum sedibus Tartareis anteponendum erat. Sed omnino nullo modo intellegitur, quid sibi velint hoc loco ostia Ditis, quum ad ea quae sequuntur nihil prorsus pertineant. Nec tamen cum Peerlkampo omnia abjecerim quae inde a v. 666 usque ad 670 leguntur, sed in Ribbeckii potius partibus consisto; qui quum non dubitet (prolegomena ad Vergilium, pag. 83), quin hunc maxime locum secundis curis poeta retractaturus fuerit, facilius etiam hemistichium intellegitur.

Superest ut afferamus haec: A. I, 186: „longum per vallis pascitur agmen.“ XII, 909: „Ac velut in somnis oculos ubi languida pressit Nocte quies nequiquam avidos extendere cursus Velle videmur.“ V, 325: „spatia et si plura supersint Transeat elapsus prior ambiguumque relinquat.“ Namque et his locis numerus ad intendendam quantitatis notionem usurpatus est, quae verbis longum extendere plura significatur. Loco vero qui est XII, 129: „Utque dato signo spatia in sua quisque recessit“ spatia veram vim plurativam exhibent. — Ita hanc rem absolvisse nobis videmur. Nam quae saepissime leguntur limina ne quis ducat huc trahenda esse, pluralis ille inde exortus est, quod poeta ad portae limen inferum et superum animum intendebat. Neque aliter qui saepius obviam est pluralis portae de foribus per metonymiam quandam dicitur. —

2. Adgrediamur jam eorum verborum uberiorem numerum, quibus in eum modum pluraliter usus est Vergilius, ut id quod proprie ad externam rerum vim amplificandam aptum est, coacervationem dico illam, quae fit usu pluralis numeri, etiam ad in-

teriorem verborum naturam intendendam transferret, quod indoli linguae Romanae prorsus convenire jam supra indicavi. Atque ut a summis ordiamur, primum dicendum est, saepe significari plurali id quod modum humanum egrediatur. A. III, 307: „Ut me conspexit venientem et Troia circum Arma amens vidit: magnis exterrita monstris Deriguit visu in medio.“ Putat Andromache, Aeneam ad se venire umbram ex inferis, de quo loco videas quae uberius adnotat Heynius. V, 659: „Cum dea se paribus per caelum sustulit alis Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum. Tum vero attonitae monstris actaeque furore Conclamant.“ VII, 780: „Cornipedes arceantur equi, quod litore currum Et juvenem monstris pavidi effudere marinis“ scilicet bellua illa e mari emersa, quae Hippolyti equos terruit. cf. Prop. III, 24, 21: „Andromede monstris fuerat devota marinis.“ A. IX, 128: „Trojanos haec monstra petunt, his Juppiter ipse Auxilium solitum eripuit“ de navium in nymphas mutatione. Ov. Met. II, 675: „nomen quoque monstra dedere“ intellegitur Ocyroë in equam commutata. Ibid. IV, 500: „Attulerat secum liquidi quoque monstra veneni“ non plura venena, ut Hauptius explicat, nam eas, quae continuo nominantur, partes singulas jam in unum concoxerat Tisiphone cf. 505 et 506. A. VII, 376: „Tum vero infelix ingentibus excita monstris Immensum sine more furit lymphata per urbem.“ Injuria mihi videntur interpretes monstra habere terrores et phantasmata furentis animo objecta, talia enim quum clarius definitiusque indicare soleant Latini tum Vergilius A. IV, 469: „Eumenidum veluti demens videt agmina Pentheus Et solem geminum et duplicis se ostendere Thebas“ seqq., neque quod legitur X, 593: „vanae vertere ex hostibus umbrae“ ullo modo huc pertinet. Praeterea constat Romanos, si de vehementibus animi affectibus agatur non uti verbo exciendi vel excitandi sed capiendi, ut V, 465: „Infelix, quae tanta animum dementia cepit?“ Itaque dubium non videtur, quin monstra ad serpentem referenda sint, quam Allecto in sinum Amatae conjecisse narratur, quaeque jam v. 348 monstrum nominatur. Quod vero ingentia vocat monstra poeta, hac in re nemo offendet, qui comparaverit III, 307: „magnis exterrita monstris;“ utroque enim loco adjectiva vim et effectum indicare, quem in animos habeant monstra, nemo non videt. Ov. Met. V, 216: „remove fera monstra“ de Gorgonis capite. — A. XII, 335, ubi Martis comitatus describitur, haec invenimus: „circumque atrae Formidinis ora Iraeque Insidiaeque, dei comitatus, aguntur.“ Ov. M. V, 180: „et Gorgonis extulit ora,“ qui pluralis mirum est quantum ad augendum terrorem conferat. — numina Ladevicus ad A. VII, 297 dicta vult de iis rebus in quibus numen appareat, quae explicatio, quamquam ad nonnullos locos quadrat, tamen minime sufficit. Saepissime enim pluralis nisi ad extollendam notionem divini non pertinet. II, 233: „Ducendum ad sedes simulacrum orandaque divae Numina conclamant.“ III, 543: „tum numina sancta precamur Palladis armisonae.“ Atque de ipso loco qui est VII, 297: „at credo mea numina tandem Fessa jacent“ sic statuendum est. Namque non de iis quae effecit potentia divina dici potest, fessa atque exhausta ea esse, sed de potentia

ipsa. Eodem modo 310: „quod si mea numina non sunt Magna satis, dubitem haud equidem implorare quod usquam est.“ At convenit Ladevici sententia loco qui invenitur I, 666. Interdum etiam intellegenda sunt ea quibus, quae fieri velint, dii significant, ut oracula aliaque signa, ita ut hic quoque de pluribus rebus cogitandum sit. II, 123. III, 359. VIII, 78. 512. — XI, 276: „cum ferro caelestia corpora demens Adpetii et Veneris violavi volnere dextram,“ quocum loco contendas Ov. am. III, 2, 55: „puerisque potentibus arcu“ quod de Cupidine dicitur, quamquam apud Ovidium in corporibus notio rei divinae inesse semper von videtur: Met. II, 326. 663. — A. VIII, 295: „tu Cresia mactas Prodigia“ intellege taurum Cretensem ignes evomentem. III, 172: „Talibus attonitus visis et voce deorum;“ apparuerunt penates Aeneae, quum insomnis jaceret, eumque Cretam relinquere jusserunt. Ac ne ducas visa dicta esse propter plures penates, conferre liceat locum VIII, 109: „Ut celsas videre rates atque inter opacum Adlabi nemus et tacitos incumbere remis Terrentur visu subito cunctique relictis Consurgunt mensis,“ (nam et visus de eo dicitur quod conspicimus, neque solum de conspiciendo ipso). — II, 691: „Da deinde augurium pater atque haec omina firma,“ quod ignis coelestis in capite Juli videbatur. IV, 662: „nostrae secum ferat omina mortis.“ IX, 21: „unde haec tam clara repente Tempestas? medium video discedere caelum Palantisque polo stellas. sequar omina tanta, Quisquis in arma vocas.“ Ac sicut apud omnes scriptores usitatus est pluralis numerus altaris vocabuli, ita Vergilius aram quoque usurpat, nempe ut augeatur notio venerationis pietatisque. Quae res quum tritissima sit, sufficiat ex primis Aeneidos libris aliquot locos adnotasse: A. I, 334. 349. II, 155. 202. 501 (una intellegitur ara, et ea quidem ad quam obtruncabatur Priamus cf. 513 seqq.) 574. 663. III, 25. 63. 231. Ex eadem causa dicitur III, 178: „tendoque supinas Ad caelum cum voce manus et munera libo Intemerata focis.“ XII, 118: „Parabant focos et dis communibus aras.“

Jam quum verbis, quae adhuc attuli, notio illa divini aut ipsis insit aut adjectivo addatur, ita ut plurali numero in mirandum vel horribile magis tantum augeatur, multa etiam sunt quae ipso demum numero illud plus quam humanum concipiunt. VI, 26: „Minotaurus inest Veneris monimenta nefandae.“ Vocabulum Veneris nisi de concubitu intellegi non potest, sicut G. III, 137, aliisque locis; itaque solo plurali indicatur monstrum fuisse Minotaurum horribile. — XII, 876: „ne me terrete timentem Obscenae volucres, alarum verbera nosco;“ minime generaliorem reddit notionem numerus, ut censuerunt Wagnerus Ladevicus, sed dira et horrenda volucris significatur. Est autem certa illa furia ab Jove immissa. Neque aliter Ecl. VI, 42: „Hinc lapides Pyrrhae jactos, Saturnia regna, Caucasiasque refert volucres furtumque Promethei“ pluralis divini aliquid efficit, quum Jovis aquila intellegenda sit. Quod si Ameisius (spicilegium explicationum Vergilianarum p. 13) putat, secutum esse poetam imagines, in quibus duae vel plures aquilae representatae fuerint, de hac re dubitaverim primum quia non video cur hoc ipso loco Vergilius a fabula qualis vulgo fere-

batur recedere voluerit, deinde quod, quantum equidem scio, una tantum imago ad nostrum tempus pervenit, quae revera duas aquilas exhibet, eam dico quam adumbratam habes in Wieseleri monumentis artis antiquae II, tab. LXIV, 832 (cf. etiam O. Jahnii symbol. archaeol. p. 226 seq.). Hic vero quum videamus Prometheum rupi alligatum et avem quandam viscera ejus adedentem, aliam autem aquilam ex aere devolantem Titanemque petentem, incertum est, an continuatio poenae hac re significetur, ut si alia dirum opus fessa remittit, alia in locum subeat. Neque in universum huic imagini multum tribuendum est (Wieseler, adnotat pag. 19). Ea vero, quae et ipsa apud Wieselerum invenitur II, LXIV, 825 (Jahn, p. 229 seq.), quum neque duas aves neque ipsum Prometheum certo praebeat, ad nostrum locum ne ullius quidem momenti est. At similiter eadem res designatur apud Propertium III, 20, 14: „Gorgonis et satius fuit obdurescere vultu, Caucasias etiam si pateremur aves.“ — Umbra pluraliter usurpatur, si indicat mortui εἴδωλον vel visum quoddam in somniis obvium. A. V, 81: „iterum salvete recepti Nequiquam cineres animaeque umbraeque paternae,“ quo loco etiam in vocabulum quod est animae illud horroris, quod in umbris inest, transiit. VI, 510: „Omnia Deiphobo solvisti et funeris umbris.“ X, 519: „inferias quos immolet umbris“ quippe Pallantis. XI, 81: „Vinxerat et post terga manus, quos mitteret umbris Inferias.“ IV, 571: „Tum vero Aeneas subitis exterritus umbris“ de Mercurii nocturno visu. — Donum vocabulum, quum saepius pluralem numerum prae se ferat ad indicandam rem divinam, plerumque tamen hujusmodi adjectivum vel attributum secum habet. G. IV, 1: „Protinus aerii mellis caelestia dona Exsequar.“ IV, 520: „inrita Ditis dona,“ concessio intellegitur Eurydicen ad superos reducendi. A. II, 36: „pelago Danaum insidias suspectaque dona Praecipitare jubent“ equum nimirum, quem Palladis jussu exstruxerant Graeci. Quamquam paullo supra v. 31 singularem posuit poeta, metri credo necessitate coactus: „Pars stupet innuptae donum exitiale Minervae;“ nam v. 189 rursus legimus: „Nam si vestra manus violasset dona Minervae.“ VIII, 729: „Talia per clipeum Volcani, dona parentis, Miratur.“ Sed VI, 632: „Haec ubi nos praecepta jubent deponere dona“ solo plurali indicatur ramus aureus divina vi praeditus Proserpinaeque consecratus; neque aliter comparatus est locus X, 882: „nam venio moriturus et haec tibi porto Dona prius,“ mors enim intellegitur. cf. Ov. Met. IV, 757: „Protinus Andromedan et tanti praemia facti Indotata rapit“ et V, 25; Cat. 64, 157; quamquam aliquid divini non spectatur. — Huc ignes quoque referendi sunt. A. II, 686: „Nos pavidi trepidare metu crinemque flagrantem Excutere et sanctos restinguere fontibus ignes.“ VIII, 542: „Et primum Herculeis sopitas ignibus aras Excitat.“ X, 177: „caeli cui sidera parent Et linguae volucrum et praesagi fulminis ignes.“ Ov. Met. II, 396: „missos quoque Jupiter ignes Excusat“ fulmen quo Phaetontem jaculatus est. 849: „Ille pater rectorque deum cui dextra trisulcis Ignibus armata est.“

Sed, ut jam longius progrediar, non necesse est ignes semper valere ignem divinum; nam possunt etiam extolli plurali notiones quae insunt ardoris vel splendoris

vel claritatis. A. X, 271: „Ardet apex capiti cristisque a vertice flamma Funditur et vastos umbo vomit aureus ignis." Sic inveniuntur et taedae VII, 457: „Sic effata facem juveni conjecit et atro Lumine fumantis fixit sub pectore taedas." 71: „castis adolet dum altaria taedis." Aliam rursus gradationis rationem exhibet v. 322: „Funestaeque iterum recidiva in Pergama taedae" ubi cum tralatione ponitur vox nostra. Tum faces V, 637: „Nam mihi Cassandrae per somnum vatis imago Ardentis dare visa faces." Denique lumina si sibi opponuntur inferorum umbrae tenebraeque atque superorum clara puraque lux VI, 828: „Heu quantum inter se bellum, si lumina vitae Attigerint, quantas acies stragemque ciebunt!" VII, 771: „Tum pater omnipotens, aliquem indignatus ab umbris Mortalem infernis ad lumina surgere vitae" cet. XII, 63: „simul haec invisa relinquam Lumina." Comparandum est quodam modo Catulli illud: „Quae simul optatae finito tempore luces Advenere" (64, 31), et enuntiatum Ovidianum quamvis remotius: „Concipit: id deerat: manifesta crimina pleno Fert utero" (Met. III, 268). Ceteroquin apud Vergilium in luminibus notio vere plurativa inest, sicut A. VIII, 69: „aetherii spectans orientia solis Lumina." — Contra umbrae saepius spissam quandam caliginem designant, ut loco VII, 770, quem modo tetigi, vel 619: „Abstinuit tactu pater aversusque refugit Foeda ministeria et caecis se condidit umbris," vel G. I, 209: „Et medium luci atque umbris jam dividit orbem." Ac paullo immutato sensu ac laeto 342: „Tum somni dulces densaeque in montibus umbrae." Alio vero modo res se habet de locis quales sunt A. VI, 452: „quam Troius heros Ut primum juxta stetit adgnovitque per umbras Obscuram" cet., vel IX, 411: „hasta volans noctis diverberat umbras;" ibi enim poeta umbram fingit quasi materiam, quippe quae dividi possit, quem in modum etiam aura saepissime usurpatur, ita ut clare exstet notio plurativa.

Quod supra dixi, haud raro per Ovidium me ad probabilem rei explicationem adductum esse, id quum in alia verba tum maxime in ea cadit, quae sunt tela enses cultri spicula stimuli alia. Quum enim in Her. XIV, 44 seqq. Hypermnestram ita narrantem faciat: „Erigor et capio tela tremente manu. Non ego falsa loquar: ter acutum sustulit ensem, Ter male sublato reccidit ense manus," ex hoc loco primum ensem vocari tela cognoscimus, dein, quoniam ensis dicitur acutus, notionem acuti in telis, quae proxime praecedunt, ipso numero plurali indicatam esse, luce clarius videtur apparere, ut significent fere tela acutum telum. Jam id ad Vergilium nostrum adcommodemus. A. II, 216: „Post ipsum auxilio subeuntem ac tela ferentem Corripiunt." V, 514: „Tum rapidus jamdudum arcu contenta parato Tela tenens fratrem Eurytion in vota vocavit." VI, 57: „Phoebe — Dardana qui Paridis direxti tela manusque Corpus in Aeacidae." IX, 409: „,Hunc sine me turbare globum et rege tela per auras.' Dixerat et toto connixus corpore ferrum Conicit: hasta volans noctis diverberat umbras." Sed 417: „Ecce aliud summa telum librabat ab aure" metrum obstitisse videtur. Rursus 653: „Sit satis, Aenide, telis impune Numanum Oppetiisse tuis" (632: effugit sa-

gitta). X, 730: „Tundit humum exspirans infractaque tela cruentat.“ Quod idem Ovidius dicit Met. II, 616: „arcumque manumque Odit cumque manu temeraria tela sagittas“ apud Vergilium hujus rei nullum inveni certum exemplum, quamquam facultas data erat A. IV, 71: „qualis conjecta cerva sagitta Quam procul incautam nemora inter Cresia fixit Pastor agens telis liquitque volatile ferrum Nescius; illa fuga silvas saltusque peragrat Dictaeos; haeret lateri letalis arundo.“ Ceterum, ut id ex occasione addam, hoc loco vocabulum quod est telis cum fixit vocabulo nec vero cum „agens“ conjungendum est, quippe quae verba respondeant illis conjecta sagitta, id quod Ladevicus rectissime perspexit. Namque de loco qui est I, 191, ubi revera conjungenda sunt verba agens et telis, ad nostrum nihil repeti potest subsidii, quum apud Vergilium eadem verba eaedem juncturae saepissime alio loco alio sensu redeant, quae res quum in ipso pluralis usu saepissime occurrat, tum hisce locis apparet, quos exempli causa addo: A. I, 722 et VII, 694. I, 350 et X, 326 (cf. §. 2 sub v. amores). Atque haec de telis. Jam ad similia procedo. II, 155: „(testor) vos arae ensesque nefandi, Quos fugi.“ — G. III, 492; „Ac vix suppositi tinguuntur sanguine cultri Summaque jejuna sanie infuscatur harena.“ — A. VII, 497: „Ascanius curvo direxit spicula cornu,“ cf. Ov. Met. XII, 606: „Certaque letifera direxit spicula dextra.“ A. XII, 403: „Nequiquam trepidat nequiquam spicula dextra Sollicitat.“ — Neque a vero mihi aberrare videor, si stimulos quoque pro stimulo acuto et mordaci dictos habeo. G. III, 210: „Sed non ulla magis viris industria firmat Quam Venerem et caeci stimulos avertere amoris Sive boum sive est cui gratior usus equorum.“ A. VI, 101: „ea frena furenti Concutit et stimulos sub pectore vertit Apollo.“ IX, 718: Hic Mars armipotens animum viresque Latinis Addidit et stimulos acris sub pectore vertit.“ VII, 405: „Reginam Allecto stimulis agit undique Bacchi.“ Quo vocabulo Vergilius quidem metaphorice tantum uti videtur. At Ovidius Met. II, 127: „Parce puer stimulis et fortius utere loris;“ eodem modo XIV, 647. — Etiam caestus huc pertinent. A. V, 479: „durosque reducta Libravit dextra media inter cornua caestus.“

Denique usus quidam roboris vocabuli commemorandus est, quem cognoscas e G. III, 420: „Cape saxa manu, cape robora pastor, Tollentemque minas et sibila colla tumentem Deice.“ Neque enim cum Ladevico faciendum est, qui explicet: wuchtige Stöcke, sed sine dubio accipi vult poeta unum fustem robustum ac durum, quum minime intellegatur cur plures arripere fustes hic jubeatur pastor, facillime autem perspiciamus cur plures lapides ei opus sint. Quem in modum censuit etiam Ameisius (spicileg. 35). Sed altera, quam insuper is proposuit, ratio alacritati orationis parum convenire videtur. Namque adspicit quasi suis oculis poeta pastorem in summo discrimine versantem, quem anxia exclamatione ad depellendum periculum excitat. Qua de causa etiam id, de quo Haunius cogitavit (apud Ameisium l. c.): plures fustes in usum vocandos esse, ut fracto uno statim alter ad manus sit, parvam veritatis speciem prae se fert. Quis enim, quaeso, in tanto rerum discrimine tam considerate ac pru-

denter plures fustes colliget, nec potius primum quemque oblatum arripiet? — Addiderim locos nonnullos, ubi sensu paullo diverso inveniuntur robora. G. II, 305: „Qui furtim pingui primum sub cortice tectus Robora comprendit.“ Ov. Met. III, 94: „Pondere serpentis curvata est arbor et imae Parte flagellari gemuit sua robora caudae.“ cf. V, 123.

Si de armis res est, facile ad volnera quoque, quae infligunt, defertur animus. Atque quum A. IV, 683 legimus: „date, volnera lymphis Abluam et extremus si quis super halitus errat Ore legam;“ quae exclamat Anna de Didone sua ipsius manu moriente, porro quum in comparationem vocamus ea quae apud Ovidium Thisbe loquitur ad mortuum Pyrami corpus reversa Met. IV, 150: „est et mihi fortis in unum Hoc manus: est et amor: dabit hic in vulnera vires. Persequar extinctum“ cet. facile cognoscimus et his locis numerum pluralem adhibitum esse ad augendam notionis qualitatem, ita ut volnera fere sint idem atque volnus letale. Neque aliter se habet quod legitur A. XI, 56: „at non, Euandre, pudendis Volneribus pulsum adspicies,“ quo in loco quum pulsum valeat percussum, in hunc modum explicaverim: Non videbis, volnus quod mortem ei intulit tale fuisse, quale rubori ei sit, quae explicatio nescio an praeferenda sit illi quam proposuit Ladevicus: du wirst nicht sehen, dass er auf der Flucht Wunden im Rücken erhalten hat. VII, 757: „Umbro, Vipereo generi et graviter spirantibus hydris Spargere qui somnos cantuque manuque solebat Mulcebatque iras et morsus arte levabat. Sed non Dardaniae medicari cuspidis ictum Evaluit, neque eum juvere in volnera cantus Somniferi et Marsis quaesitae montibus herbae.“ Dubitatur de lectione, quia R c1 praebent vulnere, M autem $\overset{AD}{\text{IN}}$ UOLNE$\overset{E}{\text{R}}$E, quod receperunt Hauptius et Ladevicus, commendavit Peerlkampus. Nec injuria hic: „juvit in volnera,“ inquit, „vulgo significat: ad vulnera alteri infligenda vel ipsi accipienda. „In“ cum accusativo consilium indicat rei, quae adiicitur, faciendae.“ Quam sententiam praeter eos quos attulit locos probat etiam locus Ovidianus supra excitatus. Nec tamen ideo quisquam negabit, nostro loco „in“ posse indicare etiam respectum (Tac. ann. II, 59: levavit apertis horreis pretia frugum multaque grata in vulgus usurpavit), ita ut volnera vocabulum, quod plurimorum codicum auctoritate confirmatur, vix mutandum sit. Sensum vero accipias hunc: cantus somniferi non eum juvere ad depellendam mortem, quae volnus cuspide Dardania inflictum consequebatur. — Nec vero semper lateat in volneribus notio mortis oportet, sed significare potest numerus etiam grave periculosumque volnus. A. X, 834: „Interea genitor Tiberini ad fluminis undam Volnera siccabat lymphis.“ 848: „tuane haec genitor per volnera servor?“ (v. 842: ingenti volnere). Ov. Met. II, 199: „Hunc puer ut nigri madidum sudore veneni Vulnera curvata minitantem cuspide vidit“ cet. —

Funus vocabulum si pluraliter ponitur, semper vehementem animi commotionem spirat. A. VI, 874: „vel quae Tiberine videbis Funera, cum tumulum praeterlabere recentem" de funere Marcelli. IV, 500: „Non tamen Anna novis praetexere funera sacris Germanam credit" de caede per metonymiam dicta. IX, 486: „tua funera. Veste tegens" intellegitur Euryali corpus mortuum. Ceterum ne quis accuratiorem explicationem desideret, jam apud priscos scriptores invenitur hic usus. Sic Ennius apud Ciceronem: „Nemo me lacrimis decoret nec funera fletu Faxit" (Tusc. I, 15, 34). Cat. 64, 401: „Optavit genitor primaevi funera nati." — Tum legimus apud Vergilium A. IV, 642: „coeptis immanibus effera Dido" et paullo infra 647: „ensemque recludit Dardanium non hos quaesitum munus in usus," quorum prior locus, ubi haud dubie extolli consilium horrendum vult poeta, posteriori lucem affert; conferas Ov. Met. IV, 524: „Bacchi sub nomine Juno Risit et ‚hos usus praestet tibi' dixit ‚alumnus'," atque V, 111. Ad coepta vero addas A. IX, 625: „Juppiter omnipotens, audacibus adnue coeptis." X, 461: „Te precor, Alcide, coeptis ingentibus adsis." Ov. Her. XIV, 49: „Sed timor et pietas crudelibus obstitit ausis, Castaque mandatum dextra refugit opus," quibus in locis quid spectetur plurali ex adjectivis audacibus ingentibus crudelibus elucet; ubique autem de una accurateque distincta re agitur. Contra in G. IV, 283: „Tempus et Arcadii memoranda inventa magistri Pandere" et 295: „Exiguus primum atque ipsos contractus in usus Eligitur locus" pluralia videntur referenda esse ad singulas res, quibus constabat inventum illud artificioso modo apes procreandi. — A. XI, 274: „heu dira meorum Supplicia." IV, 383: „Spero equidem mediis, si quid pia numina possunt, Supplicia hausurum scopulis." VII, 619: „Hoc et tum Aeneadis indicere bella Latinus More jubebatur tristisque recludere portas. Abstinuit tactu pater aversusque refugit Foeda ministeria et caecis se condidit umbris." XI, 157: „Primitiae juvenis miserae bellique propinqui Dura rudimenta." X, 529: „non hic victoria Teucrum Vertitur aut anima una dabit discrimina tanta."

Sed haec quum quasi per saturam disputata sint, jam ad ordinem, quoad fieri potest, redeamus. Primum igitur exponamus de verbo quod est silentia, in quo pluralis numerus haud dubie proprie significat silentium in multis rebus posse cognosci. Ita A. I, 730: „tum facta silentia tectis," dicere vult poeta omnes qui adessent pro sua quemque parte obmutuisse; idem redit XI, 241: „tum facta silentia linguis." Itaque tollitur notio singularis, neque, si semper sic explicare liceret, amplius nostra interesset novisse, quam late pateret hic dicendi mos. Ac tamen inveniuntur etiam loci, de quibus aliter censendum est. Evanescit enim nonnunquam significatio complurium rerum editque qualitatis cujusdam notionem, quae silentii verbum in aliquem modum accuratius definiat. II, 255: „Et jam Argiva phalanx instructis navibus ibat A Tenedo, tacitae per amica silentia lunae Litora nota petens." Silentium, quod omnia animalia omnia loca premit, altum silentium sit necesse est. Atqui dubitari nequit, quin amica dicta sint silentia propterea quod tali nocte quiete et somnis omnia tenente non aderat,

qui Graecorum expeditionem observaret (id quod recte perspexit Henry, Philol. XI, 608; qui tamen minus bene silentia vertit: die stille Zeit). Apparet ergo inservire pluralem verbo quod est amica extollendo. II, 755: „Horror ubique animo, simul ipsa silentia terrent.“ Et hoc loco sententiarum conjunctione adducimur ut cogitemus de vasto silentio et horroris pleno. Ov. Met. IV, 433: „Ducit ad infernas per muta silentia sedes.“ Jam quum hisce locis notio plurativa parum quidem, eluceat tamen, prorsus rejecta vel immutata est in sententiis quas nunc affero. A. III, 112: „Hinc mater cultrix Cybelae Corybantiaque aera Idaeumque nemus; hinc fida silentia sacris Et juncti currum dominae subiere leones.“ X, 63: „tum regia Juno Acta furore gravi: quid me alta silentia cogis Rumpere?“ ita ut appareat, Vergilium in hoc pluralis usu a finita rerum cognitione profectum magis magisque ad infinitam processisse. — A silentiis quum facilis sit transitus ad furta, continuo quae de hoc vocabulo commemoranda videntur, hic subjungam. Quod si legimus XI, 515: „Furta paro belli“ fortasse cogitari possit de explicandi via, qualem infra inibimus, si de dolis agetur. Sed noluisse nisi ad notionem occulti incrementum aliquod afferri poetam haud scio an certo prodeat ex IX, 150: „tenebras et inertia furta Palladii caesis summae custodibus arcis Ne timeant,“ ubi et tenebrae et inertia ad hanc explicationem impellunt. Cat. 12, 7: „crede Pollioni Fratri, qui tua furta vel talento Mutari velit.“ Ov. Met. II, 696: „Tutus eas: lapis iste prius tua furta loquetur.“ Accedit ut haec ratio ad usum frequentissimum poetarum, ex quo furta de concubitu dicunt, aptissima videatur esse. G. IV, 346: „Martisque dolos et dulcia furta.“ Ov. Met. IV, 174: „Junonigenaeque marito Furta tori furtique locum monstravit;“ fortasse etiam conferri potest v. 191: „Inque vices illum tectos qui laesit amores Laedit amore pari.“ — Transeo ad cursus. A. XII, 84: „(poscit equos) Pilumno quos ipsa decus dedit Orithyia, Qui candore nives anteirent, cursibus auras.“ Atque cursus hoc loco non valere cursum, sed cursum celerem vel rapidum, certo colligi potest e candore qui oppositus est. Ut enim is continet notionem adjectivam, quum valeat colorem album, ita id quod albo respondet: celere, plurali numero indicatur. Quod si candorem vertimus in: Weisse, cursus reddamus oportet verbo: Schnelligkeit. G. III, 20: „Cuncta mihi Alpheum linquens lucosque Molorchi Cursibus et crudo decernet Graecia caestu.“ Res est eadem, nisi quod in nomine quod contrarium est cursibus non latet adjectivum, sed reapse ei additum est (crudo). 119: „Exquirunt calidumque animis et cursibus acrem.“ Nec puto aliter accipienda esse effugia, quae semel apud Vergilium inveniuntur A. II, 140: „poenas ob nostra reposcent Effugia;“ quo verbo, ut ait Servius, utebantur, si hostia, quae ad aras adducta erat immolanda, casu effugiebat. Utut res est, fugae praecipitatae notio huic loco bene convenire videtur.

Si verba quae sunt vis gaudium spes alia per metonymiam quandam de persona dicuntur atque pluraliter ponuntur, et ipsa gradationem exhibent vehementioremque animi affectum indicant. I, 664: „Nate, meae vires, mea magua potentia solus,“ vide

quam diligenter adjunxerit poeta ad potentiam adjectivum, ut notioni esset eadem gravitas atque viribus. X, 325: „Dum sequeris Clytium infelix, nova gaudia, Cydon.“ 652: „Talia vociferans sequitur strictumque coruscat Mucronem nec ferre videt sua gaudia ventos.“ VIII, 514: „Hunc tibi praeterea, spes et solacia nostri, Pallanta adjungam.“ Ov. Met. IV, 604: „Sed tamen ambobus versae solacia formae Magna nepos fuerat.“ A. X, 524: „Per patrios manis et spes surgentis Juli.“ Ecl. II, 2: „Formonsum pastor Corydon ardebat Alexim Delicias domini.“ Conferas Catulliana: deliciae 2, 1. 3, 4. 6, 1. amores 6, 16. 10, 1. 13, 9. lepores 32, 2. alia. Ceterum vires, etiam si propria significatione usurpantur, nonnunquam amplificandi et extollendi studio inserviunt. A. II, 50: „Sic fatus validis ingentem viribus hastam In latus — Contorsit.“ VIII, 404: „absiste precando Viribus indubitare tuis.“ Similiter Ovidius Met. III, 64: „validos cute reppulit ictus“ de jactu saxi; rursus Vergilius A. X, 496: „rapiens immania pondera baltei.“ Neque aestu et fervore in hunc modum uti aversatur poeta noster. VII, 495: „Hunc — Commovere canes, fluvio cum forte secundo Deflueret ripaque aestus viridante levaret.“ G. III, 331: „Aestibus at mediis umbrosam exquirere vallem.“ IV, 401: „medios cum sol accenderit aestus.“ Ov. Met. II, 228: „orbem Adspicit accensum nec tantos sustinet aestus.“ G. III, 154: „Hunc quoque, nam mediis fervoribus acrior instat, Arcebis gravido pecori.“ Ceteroquin haec ipsa verba saepissime sic ponuntur, si repetitio rei spectatur. II, 270: „qua parte calores Austrinos tulerit,“ qui usus miri nil praebet.

Reliquum est, ut de sceptris disseramus. De quo vocabulo Nauckius ad A. I, 57, ubi haec leguntur: „celsa sedet Aeolus arce Sceptra tenens“ id judicium tulit, ut numero vim translatam ac generaliorem tribueret. Quod quominus rectum sit, obstant quae dicit Ovidius Met. III, 265: „ipsam si maxima Juno Rite vocor, perdam, si me gemmantia dextra Sceptra tenere decet,“ ubi de significatione translata cogitari non potest. Atque sive propria vi sive cum metonymia quadam usurpatur verbum, pluralis non valet nisi ad augendam majestatem dignitatemque, quae latet in verbo sceptri. A. VII, 173: „Hic sceptra accipere et primos attollere fasces Regibus omen erat.“ 422: „Turne, tot incassum fusos patiere labores, Et tua Dardaniis transcribi sceptra colonis?“ IX, 9: „Aeneas urbe et sociis et classe relicta Sceptra Palatini sedemque petit Euandri.“ XI, 238: „sedet in mediis et maxumus aevo Et primus sceptris haud laeta fronte Latinus;“ hoc loco sceptra ad dignitatem regiam unius Latini referenda esse rectissime censet Wagnerus. De comparatione cum ceteris qui aderant regulis cogitare non licet, habendumque est verbum sceptris pro ablativo causae. cf. I, 253. IX, 267. X, 852.

§. 2.

Spatium non exiguum jam permensi sumus, plus tamen viae protinus patet. Nam multae sunt notiones, ad quas rationes explicandi quibus adhuc utebamur non jam sufficere videntur, id quod initio disputationis leviter tetigi. Quae notiones quum ita

comparatae sint, ut aliquo pacto multitudo quaedam rerum in iis facile apparere possit, in animo poetae ad omnia, quae uberiorem vividioremque reddunt orationem, maxime propenso haec plurativae notionis cogitatio tantum gravitatis ac vigoris in se trahit, ut verbum de quo agitur, etsi re ipsa retinet significationem singularem, specie tamen externa ad multitudinem quam continet inclinetur vel ei adsimiletur. Itaque si investigaverimus, quae sit illa uniuscujusque notionis proprietas, ex qua apud scriptorem orta sit multitudinis cujusdam cogitatio, inde apparebit quid novi pluralis numerus notioni afferat. Ac saepe quidem id indicari poterit addito adjectivo aliquo, saepe autem ne hoc quidem uti licebit, quum subtilius sit id quod accedit, praesertim si aliam enuntiati notionem plurali numero augeri vult poeta. Ceterum fiet hic illic, ut verba, de quibus in iis quae sequuntur expono, significationes exhibeant, quae ad ordines supra tractatos referendae sunt. Nolui tamen ob singula nonnulla totam texturam discerpere conspectumque difficiliorem reddere. Interdum etiam ea, quae via explicandi modo adumbrata profecerimus, proxime accedent ad rationes paragraphi prioris, quin etiam dubitari poterit nonnunquam, utra explicatio praeferenda sit. At putaverim, si in explanandis legibus versemur elocutionis summa cum arte excultae, ubicumque ad rem quandam expediendam plures facultates datae sint, eam amplectamur oportere, quae sit elegantissima ac maxime perpolita. Namque id est munus artium, ut rudem qua effingunt opera materiam diligenter excolant divinoque quasi spiritu impleant atque animos a sensibus ad divina sevocent. Rationem vero augendi accuratiusque definiendi mera quadam accumulatione facta rude aliquid prae se ferre nemo negabit.

Varius est pluralis usus vocabuli oris, quem quoniam tetigimus initio §. 1 nunc in omnes partes explanemus. Inveniuntur autem primum ora vultibus adsimilata. A. I, 354: „ora modis attollens pallida miris.“ X, 822: „At vero ut voltum vidit morientis et ora Ora modis Anchisiades pallentia miris“ cet. I, 658: „faciem mutatus et ora Cupido.“ III, 490: „Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat.“ VII, 250: „defixa Latinus Obtutu tenet ora“ cf. VIII, 520. Ad vultus igitur oris imprimis intenditur animus, id quod locorum, praecipue eorum quos priores attuli, pulchritudinem mirum quantum auget. Bene etiam Ovidius Met. V, 58: „fractis confudit in ossibus ora,“ ad quae eleganter adnotat Hauptius: der Schlag zerschmettert die Knochen des Gesichtes; die Gesichtszüge werden dadurch verworren und unkenntlich. At per se patet hoc sensu ora non dici nisi de hominibus, quare A. VIII, 591: „(Lucifer) Extulit os sacrum caelo tenebrasque resolvit.“ Jam vero facile fieri posse, ut poeta externis quibusdam causis adductus pluralem ponat, etiam si vultus distinctius significari parum interest, nemo non concedet. IX, 181: „Ora puer prima signans intonsa juventa.“ Sed I, 315: „Virginis os habitumque gerens et virginis arma“ ubi per metrum pluralem quoque ponere liceret, os significat formam. cf. VII, 328. IX, 646. — Deinde os pluraliter usurpatur verborum quae ex ore prodeunt ratione habita. II, 247:

„Tunc etiam fatis aperit Cassandra futuris Ora dei jussu non umquam credita Teucris.“ III, 457: „Ipsa (Sibylla) canat vocemque volens atque ora resolvat.“ VI, 102: „Ut primum cessit furor et rabida ora quierunt.“ Neque omiserim hac oblata occasione commemorare, etiam spiramenti vocabulo in hunc modum uti Vergilium, quum haud dubie respexerit haustus aurae vitalis. IX, 580: „Spiramenta animae letali volnere rupit.“ — Tum quod legitur VI, 495: „Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora, Ora manusque ambas, populataque tempora raptis Auribus et truncas inhonesto volnere naris“ vide, an pluralis exortus sit e multorum vulnerum cogitatione; nec aliter explicare possis VII, 575: „Almonem puerum foedatique ora Galaesi.“ IV, 673: „Unguibus ora soror foedans.“ XI, 86: „Pectora nunc foedans pugnis, nunc unguibus ora.“ — Porro consideranda sunt haec: VI, 699: „Sic memorans largo fletu simul ora rigabat.“ IX, 251: „voltum lacrimis atque ora rigabat.“ X, 790: „lacrimaeque per ora volutae.“ X, 727: „lavit improba taeter Ora cruor.“ XI, 698: „volnus calido rigat ora cerebro.“ Quibus in locis prorsus inter se similibus de ea explicandi ratione non cogitari posse, quam primam attulimus, sententia e nono libro desumpta ostendit; alioquin enim certe dixisset Vergilius voltus. Immo quoniam narratur de lacrimis vel cruoribus per totum os effusis dispersisve, facile adsequimur, poetam, quum pluralem poneret, singulas oris partes spectasse. Atque haec fere sunt, quae de oribus dicenda videntur, nisi quod supersunt duo loci, qui ut recte perspiciantur paullo infra explicabuntur, postquam de aliis nonnullis egerimus.

Quorum primum est tergum pluraliter usurpatum. G. III, 426: „anguis Squamea convolvens sublato pectore terga.“ A. II, 474: „Lubrica convolvit sublato pectore terga.“ V, 87: „Caeruleae cui terga notae maculosus et auro Squamam incendebat fulgor.“ Est autem adsimilatus numerus voluminibus tergi draconis. Atque dubito an II, 208: „pars cetera pontum Pone legit sinuatque immensa volumine terga“ eodem modo accipiendum sit verbum de quo agitur, quamquam referri possunt terga etiam ad duos angues. Sed quod legitur VIII, 460: „Demissa ab laeva pantherae terga retorquens“ dictus est pluralis respectis voluminibus pellis, qua se induit Euander. Qui usus infra accuratius tractabitur. Interea compares Ov. Met. IV, 101: „Dumque fugit tergo velamina lapsa reliquit.“ 104: „tenues laniavit amictus.“ 596: „Inque sinus caros, veluti cognosceret, ibat;“ fortasse etiam Cat. 63, 10: „Quatiensque terga tauri teneris cava digitis.“ At si tergum in universum significatur, singularis ponitur. A. V, 351: „Sic fatus tergum Gaetuli immane leonis Dat Salio.“ Deinde locis quales sunt XII, 645: „Terga dabo et Turnum fugientem haec terra videbit?“ vel G. II, 271: „qua parte calores Austrinos tulerit, quae terga obverterit axi,“ videtur secutus esse Vergilius morem dicendi latius patentem, ex quo id quod proprie de militibus fugientibus dicebatur, etiam ad unum hominem unamve rem transferretur. Ov. Met. II, 187: „multum caeli post terga relictum.“ III, 22: „Atque ita respiciens comites sua terga sequentes.“ XIV, 143: „sed jam felicior aetas Terga dedit, tremuloque gradu venit aegra senectus.“

Eodem modo puto de captivis desumptum esse, quod invenitur A. II, 57: „Ecce manus juvenem interea post terga revinctum Pastores — trahebant." Sed ut liceat redire ad locum G. II, 271, quem modo attuli, non dubito quin ibi legendum sit: *qua* terga obverterit axi. Aperte enim in ea tantum re positum est aliquid momenti, quod plantae eadem atque una parte semper in meridiem spectare debent, neque aliam ob causam signum in cortice inciditur. Quod tunc eadem parte atque antea in septentrionem conversae sunt, id parum refert, neque, quum per se pateat, additum est nisi ad efficiendam majorem rei perspicuitatem. Si autem legitur quae, huic rei propria quaedam vis tribuitur. Jam quod invenitur in P codice: QV^{A}E, ita ut A ab recentiore manu suprascriptum sit, id videtur ita intellegendum esse, ut A non substituatur in locum litterae E, sed ante eam inseratur. Palatino autem codici quae sit in hujusmodi rebus auctoritas cognoscas apud Ribbeckium, proleg. ad Verg. pag. 309 seqq. — Sed in viam redeo. Ac non possum non mirari, quod in sententia quae est G. III, 439: „Volvitur aut catulos tectis aut ova relinquens Arduus ad solem et *linguis* micat ore *trisulcis*," redit A. II, 475, adhuc ad id tantum intenderunt animos homines docti, quod trisulca appellatur lingua, quam rem ad speciem celeri linguae motu exortam referendam esse censuerunt. At hercule multo magis mirus est pluralis numerus. Namque, credo, aut dicendum erat Vergilio: micat lingua trisulca, aut tribus linguis. Sed exortus est pluralis ex notione plurativa, quam continet trisulcus. Qua in re non mihi videor errare, si contendo, veteres accuratius legisse quam nostrates. Leguntur enim in Anonymi Orestis tragoedia, quam nuper diligentibus curis edidit Jacobus Maehly, v. 226 haec: „(anguis) Pectore sublatus lingua vibrante trisulca." Qui poeta quum aperte multis locis Vergilium imitatus sit, quin et hoc loco vestigia ejus presserit nemo dubitabit. Quum autem praebeat: lingua trisulca, duo inde effici possunt: aut ipsum mutasse sententiam, aut exemplari carminum Vergilianorum usum esse, in quo pluralis in singularem commutatus fuerit. Utut res est, videmus jam veteres in hoc numero offendisse; neque enim videtur probabile, auctorem tragoediae, si forte memoriter tantum Vergilium secutus sit, casu quodam fortuito mirum illud, quod in hoc enuntiato inest, obliterasse. Sed, ut ad Vergilium revertamur, similiter comparati sunt loci A. V, 855: „Ecce deus ramum Lethaeo rore madentem Vique soporatum Stygia super utraque quassat Tempora;" VI, 685: „alacris palmas utrasque tetendit;" 788: „Huc geminas nunc flecte acies hanc aspice gentem." Insunt enim in verbis quae sunt uterque geminus notiones plurativae, quibus adsimilabantur tempora palmae acies; proprie vero dicendum erat aut super utrumque tempus aut super ambo tempora, aut palmam utramque aut ambas palmas, aut aciem oculorum aut ambos oculos. Tum si invenimus XII, 558: „Huc atque huc acies circumtulit", VIII, 229: „omnem Accessum lustrans huc ora ferebat et illuc" ad notionem, quae enuntiatis: huc atque huc, huc et illuc exprimitur, inclinatus est numerus, quod ne dubium

tibi videatur, conferas IV, 285: „Atque animum nunc huc celerem nunc dividit illuc,“ quae redit sententia VIII, 20. Etenim si leges cogitandi accurate sequi voluit poeta, dicendum ei fuit aut: animum nunc huc nunc illuc versat, aut: animum in diversas partes dividit. Ut nunc leguntur verba, duae rationes in unam coactae sunt, vividior commotiorque oratio ut reddatur. Huc trahendus est etiam locus Ov. Met. X, 125: „Nunc eques in tergo residens huc laetus et illuc Mollia purpureis frenabas ora capistris.“ Tamen cavendum est, ne inde subsidium petamus loco Vergiliano qui est G. III, 188: „inque vicem det mollibus ora capistris,“ ubi certe ad notionem pluralem, quae latet in enuntiato in vicem, se vertit numerus. Porro A. XII, 658: „mussat rex ipse Latinus Quos generos vocet aut quae sese ad foedera flectat“ positus est pluralis propter notionem dubitandi, quae inest in mussat vocabulo. Atque quod dici solet, numero plurali interdum generaliorem reddi notionem aliquam, id ex magna parte ad eandem rationem referendum est, si modo id agitur, ut ex infinita quadam similium rerum multitudine una eligatur, sed aut ipse dubitat scriptor, vel is qui dicit, quae eligenda sit, aut non vult certo indicare atque legenti vel audienti relegare id munus. VII, 98: „Externi venient generi“ i. e. unus aliquis ex infinita multitudine generorum qui venire possunt. 270: „generos externis adfore ab oris.“ VIII, 503: „Externos optate duces.“ X, 419: „Ut senior leto canentia lumina solvit, Injecere manum Parcae telisque sacrarunt Euandri.“ Non dubitarem tela eodem modo explicare ac ceteroquin explicanda sunt, si scripsisset poeta non: Euandri, sed: Pallantis. Nec vero idem est telum Euandri ac telum Euandrium (cf. 394: Euandrius ensis). Quod si Heynius adnotat: tela Euandri: Pallantis hasta, quia a patre acceptam attulerat, nihil dicit. Nam tunc ipsum certe hasta erat Pallanti, non Euandro, neque ullo modo ita intellegitur, quid hoc loco sibi velit Euandri commemoratio. Sed tollitur omnis difficultas, si explicamus pluralem ex ea ratione quam modo exposui, ita ut subsit sensus hic: sacrarunt eum telo alicujus ex manu Euandri. Infinitum hoc et incertum enuntiatum aptissimum est fato vel oraculo cuidam. — Dein consulto reticetur nomen certi cujusdam: IV, 535: „rursusne procos inrisa priores Experiar Nomadumque petam connubia supplex?“ VII, 359: „Exulibusne datur ducenda Lavinia Teucris?“ XII, 799: „(decuit) ensem — Ereptum reddi Turno et vim crescere victis?“ quibus in locis numeri contemptum quendam redolent, quum is qui loquitur personam de qua agitur quasi indignam habeat, quae ipsa ac sola consideretur. Sed potest inesse etiam honor quidam, si sumitur personam de qua agatur tam notam et insignem esse, ut distinctis verbis nominari non debeat, quod cadit in locos VIII, 379: „Quamvis et Priami deberem plurima natis,“ ubi unus Paris intellegitur, et Ecl. III, 7: „Parcius ista viris tamen obicienda memento.“ — Jam vero exstat quidem alterum hujus rationis genus, atque id quod ex contraria prorsus rerum contemplatione nascatur, ita ut persona in genus, cujus est, quasi retroducatur, quia ad certam quandam rem non valet nisi quod in notionem generaliorem cadit, quam intellegi eo ipso loco interest.

Itaque quum antea data esset notio generalior, quaereretur specialior, nunc data est specialior, quaeritur generalior. Apparet igitur praevalere significationem plurativam, quare proprie hic usus huc non pertinet. Tamen affero nonnulla exempla. A. VI, 322: „Anchisa generate, deum certissima proles;“ non potest spectari nisi Venus; sed id imprimis acui volebat poeta, quod Aeneas erat divinae originis, non humanae. I, 4: „multum ille et terris jactatus et alto Vi superum, saevae memorem Junonis ob iram,“ dii fuerunt non homines infesti, qui Aeneam agebant sectabanturque. XI, 784: „superos Arruns sic voce precatur: Summe deum, sancti custos Soractis Apollo.“ III, 488: „cape dona extrema tuorum,“ sola Andromache intellegenda est; sed majus momentum in ea re positum, quod erat propinqua Ascanii. Sed tandem in ordinem videtur redeundum esse.

Eodem modo explicanda atque terga sunt colla hisce locis: G. III, 421: „Tollentemque minas et sibila colla tumentem Deice.“ A. II, 381: „refugit Attollentem iras et caerula colla tumentem.“ V, 277: „Parte ferox ardensque oculis et sibila colla Arduus attollens.“ Pulcherrime XI, 829: „tum frigida toto Paulatim exsolvit se corpore lentaque colla Et captum leto posuit caput, arma relinquunt.“ Nam ut vimen lentum facile flectitur atque terram versus inclinatur, sic collum Camillae morte oppressae. Intellegitur inde etiam procerum atque pulchrum collum Camillae fuisse. Similiter XI, 622: „Clamorem tollunt et mollia colla reflectunt.“ IX, 331: „aurigamque sub ipsis Nanctus equis ferroque secat pendentia colla.“ Ov. Met. III, 726: „visis ululavit Agaue Collaque jactavit.“ Sed quod est A. VI, 419: „Cui vates horrere videns jam colla colubris — offam Obicit,“ pluralis serpentium multitudine videtur effectus esse. — Jam vero mirum in modum elucet studium ratione plurali excitandi orationem ea re, quod saepius tempora dicuntur, quum de uno tempore agi clarissime appareat. IX, 588: „Et media adversi liquefacto tempora plumbo Diffidit.“ X, 891: „inter Bellatoris equi cava tempora conicit hastam.“ XII, 536: „Occurrit telumque aurata ad tempora torquet.“ Quippe duorum temporum imago inhaesit menti poetae. Contra consulto et cum vi certa singulari utitur Vergilius IX, 418: „Dum trepidant, it hasta Tago per tempus utrumque Stridens trajectoque haesit tepefacta cerebro.“ Hic enim haud dubie indicare vult hastam in alterum tempus adactam per medium caput penetrasse ita ut contrarium quoque tempus diffinderet; hoc enim convenit ingenti virium contentioni, qua hastam conjicit Nisus (cf. v. 410 et 416: hoc acrior). Quare utrumque tempus singillatim dicitur. Haec vero si ita sunt, verba quae inveniuntur IX, 633: „Effugit horrendum stridens adducta sagitta Perque caput Remuli venit et cava tempora ferro Transigit,“ ita tantum intellegi possunt, ut sagitta unum tempus perfoderit, sicut consentaneum est viribus Ascanii infirmioribus. — Eadem occurrit res in verbo quod est humerus. I, 318: „Namque humeris de more habilem suspenderat arcum Venatrix.“ IV, 149: „Tela sonant humeris.“ XI, 774: „Aureus ex humeris erat arcus et aurea vati Cassida.“ Etiam VI, 301: „Sordidus ex humeris nodo

dependet amictus" in hunc usum cadit, nam sine dubio vestimentum Charontis fuit ἐξωμίς. Ceterum si saepe in similibus enuntiatis singularis quoque exstat, id ut sibilus evitaretur factum esse apparet. Sic I, 501: „illa pharetram Fert humero gradiensque deas supereminet omnes." V, 558: „Pars levis humero pharetras." XI, 575: „Spiculaque ex humero parvae suspendit et arcum." 652: „Aureus ex humero sonat arcus et arma Dianae." — Addere liceat, etiam barbam pluraliter a Vergilio poni, id quod jam veteres observaverunt (cf. testimonia apud Ribbeckium). Et invenitur quidem hoc vocabulum G. III, 311: „Nec minus interea barbas incanaque menta Cinyphii tondent hirci," nec latebit quemquam, adsimilatum esse crebris ac densis barbae crinibus, ita ut respondeat fere nostro: voller, dichter Bart. Neque aliter explicanda sunt quae sequuntur incana menta. Addo A. VIII, 620: „Terribilem cristis galeam." IX, 270: „ipsum illum, clipeum cristasque rubentis Excipiam sorti."

Sed mirus ille temporum et humerorum usus etiam in alias et infinitas notiones patet, quales sunt connubium conjugium hymenaeus thalamus foedus alia. Ut enim intellegatur una ac certa ratio, tamen usurpatur pluralis, quia in duas partes ea spectat. Nec raro fit, ut hoc modo vicissitudinis notio magis exacuatur. Videamus exempla. G. III, 275: „saepe sine ullis Conjugiis vento gravidae." A. I, 651: „Pergama cum peteret inconcessosque hymenaeos." III, 319: „Pyrrhin connubia servas?" IV, 99: „Quin potius pacem aeternam pactosque hymenaeos Exercemus?" VII, 96 seq.: „Ne pete connubiis natam sociare Latinis, O mea progenies, thalamis neu crede paratis." 555: „Talia conjugia et talis celebrent hymenaeos Egregium Veneris genus et rex ipse Latinus." IX, 600: „En, qui nostra sibi bello connubia poscunt!" X, 389: „Anchemolum, thalamos ausum incestare novercae." Cat. 64, 20: „Tum Thetis humanos non despexit hymenaeos," cf. v. 141. Si autem thalamus et hymenaeus singulariter ponuntur, propriam retinent significationem. A. IV, 18: „Si non pertaesum thalami taedaeque fuisset" cet. 127: „Hic Hymenaeus erit." Porro si cetera verba sensu similia sic usurpantur, id fieri potest aut eo fine ut ratio ab una potius quam ab utraque parte pari lege videatur inita esse, sicut I, 73: „Quarum quae forma pulcherrima Deiopea Connubio jungam stabili propriamque dicabo." Aut notio infinita per se consideratur: II, 579. III, 296. Aut leviores atque externae caussae valebant. — Tum Ecl. VI, 50: „At non tam turpis pecudum tamen ulla secuta Concubitus." G. III, 130: „ubi concubitus primos jam nota voluptas Sollicitat." — Deinde A. I, 672: „vereor quo se Junonia vertant Hospitia." X, 495: „haud illi stabunt Aeneia parvo Hospitia." XI, 114: „Nec bellum cum gente gero: rex nostra reliquit Hospitia." — Sequuntur foedera. VIII, 56: „Hos castris adhibe socios et foedera junge." 540: „poscant acies et foedera rumpant" multisque aliis locis. Et hoc vocabulum saepius singulariter ponitur eo fine ut altera ex duabus partibus imprimis spectetur. X, 105: „Quandoquidem Ausonios conjungi foedere Teucris Hau licitum." XII, 109: „Oblato gaudens componi foedere bellum," etsi dubium est, an ablativos plurales vitare voluerit scri-

ptor. — Denique certamina et quae cognata sunt. XI, 221: „solum posci in certamina Turnum." XII, 467: „solum densa in caligine Turnum Vestigat lustrans, solum in certamina poscit." V, 419: „Aequemus pugnas." Ecl. III, 108: „Non nostrum inter vos tantas componere lites." —

Veniamus ad alia. Sunt verba haud pauca, quae quum locum quendam designent adsimilantur finibus vel partibus quae circumcludunt, ac pluralem numerum adsumunt. Ita pro sua quodque indole significationem propriam distinguit et amplificat, quamquam in universum notiones quae accedunt sunt: occulti abditi clandestini tuti. A. II, 19: „penitusque cavernas Ingentis uterumque armato milite complent." 53: „Insonuere cavae gemitumque dedere cavernae." VIII, 242: „At specus et Caci detecta apparuit ingens Regia et umbrosae penitus patuere cavernae." 420: „striduntque cavernis Stricturae Chalybum." — II, 38: „Aut terebrare cavas uteri et temptare latebras." III, 424: „At Scyllam caecis cohibet spelunca latebris." X, 657: „Huc sese trepida Aeneae fugientis imago Conicit in latebras." 601: „Tum latebras animae, pectus mucrone recludit." Quibus locis quantum vigoris hac explicandi ratione addatur, non facile quemquam fugiet. Atque quum vocabulum latebrae apud Vergilium utique pluraliter ponatur, nescio an etiam XII, 389: „Ense secent lato volnus telique latebram Rescindant penitus" cum M latebras scribendum sit. Retinet quidem Wagnerus latebram, quum censeat sagittam altissime adactam non esse, ideoque melius convenire singularem; cui tamen rationi ipsa scriptoris verba officiunt. — I, 60: „Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris." Ne cum Ladevico facias, qui pluribus carceribus inclusos esse ventos putet. Quod jam ob id ferri non potest, quod dicit poeta luctantis. Quicumque enim animo non praeoccupato ac libero haec legerit, de ventis inter se certantibus cogitabit. Ac revera luctari dicuntur proprie ii qui palaestrae operam dant; fingebant vero ventos perpetuo discordantes antiqui. Sic Ov. Met. I, 60: „tanta est discordia fratrum." Verg. A. II, 417: „Adversi rupto ceu quondam turbine venti Confligunt, Zephyrusque Notusque et laetus Eois Eurus equis." Jam montes valere montem altissimum supra indicavi; de claustrorum autem numero plurali infra videbimus. — VIII, 419: „Quam subter specus et Cyclopum exesa caminis Antra Aetnea tonant." G. IV, 429: „Cum Proteus consueta petens e fluctibus antra Ibat." Etiam quod legitur 403: „Ipse ego te, medios cum sol accenderit aestus — In secreta senis ducam," cave ne suppleas loca, quum substantivi vice fungatur adjectivum, sicut caeli convexa, de quibus vide in §. I, 1. — Tum A. XI, 527: „Hanc super e speculis summoque in vertice montis Planities ignota jacet tutique receptus," sive legis recessus, quod ad rem non pertinet. — Dein aptissime ponuntur in hunc modum adyta ac penetralia, quippe quorum indoles cernatur in occulto atque abdito. II, 297: „Aeternumque adytis effert penetralibus ignem." 404: „Ecce trahebatur passis Priameia virgo Crinibus a templo Cassandra adytisque Minervae." III, 92: „et mugire adytis cortina reclusis." V, 84: „Dixerat haec adytis cum

lubricus anguis ab imis Septem ingens gyros, septena volumina traxit." II, 508: „Urbis uti captae casum convolsaque vidit Limina tectorum et medium in penetralibus hostem." V, 744: „Pergameumque larem et canae penetralia Vestae." — Nec minus bene plurali numero portus vocabuli saepissime utitur Vergilius, ita ut clarius eluceat notio muniendi et contra omnia maris pericula tuendi. G. II, 161: „An memorem portus Lucrinoque addita claustra?" IV, 390: „Hic nunc Emathiae portus patriamque revisit." A. IV, 588: „Litoraque et vacuos sensit sine remige portus." Ac multo frequentius sic dicitur quam singulariter. cf. V, 612. IX, 98; praeterea Ribbeckius ad VII, 7, quo et ipso loco scribi velim portus, quum pluralis non sit sine aliqua codicum auctoritate, etiam duodecim locos collegit. Singularem invenias exempli gratia G. I, 303. A. VII, 598. — Similem vim praebent stabula. Ecl. VI, 60: „Perducant aliquae stabula ad Gortynia vaccae." G. III, 228: „Et stabula aspectans regnis excessit avitis." A. VII, 501: „Successitque gemens stabulis." cf. VI, 179. IX, 388. 566. Et nidi (nostrum: das heimlich bergende Nest) V, 214: „columba Cui domus et dulces latebroso in pumice nidi," quo loco illud quoque quod est latebroso explicationem nostram adjuvat. Simile invenitur enuntiatum G. I, 414: „juvat imbribus actis Progeniem parvam dulcisque revisere nidos," quamquam plures quoque intellegi possunt, id quod utique statuendum est G. II, 210: „illae altum nidis petiere relictis," et IV, 17: „ipsasque volantis Ore ferunt dulcem nidis inmitibus escam." Sed jam initio disputationis dixi, pluralem hunc in Georgicis et Bucolicis multo rarius inveniri. Singularis: IV, 307. 513. At prorsus aliter se habet quod legitur A. XII, 475: „hirundo Pabula parva legens nidisque loquacibus escas;" aperte enim adsimilatus est pluralis pullis in nido garrientibus. Quam significationem injuria Ladevicus vult inesse etiam in nidis qui sunt A. V, 214 et G. IV, 17. Ac ne illud quidem recte dicit vir elegantissimus nidos saepius significare pullos in nido, quod qui fieri posset vix intellegeretur, sed cogitandum est de nido pullorum loquacium pleno. —

Saepissime ac variis nec semper certis modis usurpatur pluralis verbi quod est sedes. Atque pluribus quidem locis accedere videtur ad verba quae modo tractavimus. A. VII, 775: „At Trivia Hippolytum secretis alma recondit Sedibus et nymphae Egeriae nemorique relegat." VIII, 244: „Non secus ac si qua penitus vi terra dehiscens Infernas reseret sedes." 667: „hinc procul addit Tartareas etiam sedes." Quodsi singularis exstat, ut VII, 454: „adsum dirarum ab sede sororum," fortasse suspicari licet, notionem occulti poetam non tam acriter extollere voluisse. Ceterum cf. Cat. 64, 48: „Pulvinar vero divae geniale locatur Sedibus in mediis." Tum si respiciuntur templum vel domus, videtur inclinatus esse numerus ad partes vel singula conclavia, quod idem tectis factum esse mox videbimus. A. II, 232: „Ducendum ad sedes simulacrum orandaque divae Numina conclamant." 437: „Protinus ad sedes Priami clamore vocati." 760: „Procedo ad Priami sedes arcemque reviso." VIII, 362: „Ut ventum ad sedes: ‚haec' inquit ‚limina victor Alcides subiit'." Quantitatis quaedam

gradatio subesse videtur II, 465: „(turrim) convellimus altis Sedibus impulimusque,“ nec aliter, sed in partem contrariam 611: „(Neptunus) Fundamenta quatit totamque a sedibus urbem Eruit.“ Deinde si regionem quandam in universum significari interest, ad animandam orationem singularum partium imago — id quod multis quae spatium designant verbis fieri solet — excitatur. VII, 158: „Moliturque locum primasque in litore sedes Castrorum in morem pinnis atque aggere cingit.“ 175: „Hae sacris sedes epulis.“ XI, 44: „ne regna videres Nostra neque ad sedes victor veherere paternas?“ Cat. 64, 85: „Magnanimum ad Minoa venit sedesque superbas.“ Sed juxta pluralem saepissime etiam singularis invenitur, id quod cum maxime impedit, quominus ad certum judicium de variis verbi significationibus perveniamus. Tamen haud raro metrum offecisse videtur, sicut VIII, 347. 463. X, 3. Gravitatem quandam singularis nescio an habeat VII, 229: „Dis sedem exiguam patriis litusque rogamus.“ Etiam si sella vel solium intellegendum est, singularis ponitur. VII, 193: „Tali intus templo divom patriaque Latinus Sede sedens Teucros ad sese in tecta vocavit.“

Jam ut ad tecti vocabulum progrediamur, primum dicendum est, per synecdochen quandam id aliquoties de tota domo dici. II, 679: „Talia vociferans gemitu tectum omne replebat.“ 757: „inruerant Danai et tectum omne replebant.“ VII, 170: „Tectum augustum ingens, centum sublime columnis.“ cf. 502. VIII, 455. X, 281. Ac tamen hac significatione plerumque pluraliter ponitur tectum, qui usus quomodo a Vergilio excultus sit, nunc nobis exponendum est. Primum igitur pluralis ex eadem cogitandi ratione videtur provenisse, quam in ponendis cavernis speluncis cet. secutus est poeta. VII, 600: „nec plura locutus Saepsit se tectis rerumque reliquit habenas.“ G. I, 379: „Saepius et tectis penetralibus extulit ova Angustum formica terens iter.“ III, 438: „Cum positis novus exuviis nitidusque juventa Volvitur aut catulos tectis aut ova relinquens Arduus ad solem.“ IV, 374: „Postquam est in thalami pendentia pumice tecta Perventum.“ Exstat tamen densa locorum nubes, in quos minime haec explicandi ratio cadat. Quod si quis gradationem quandam externam intellegi vellet, huic rationi repugnaret locus qui est A. VII, 170, ubi aedes augustae nominantur tectum, quum VIII, 359: „Talibus inter se dictis ad tecta subibant Pauperis Euandri,“ ubi aperte de modesta et exigua domo res est, pluralis ponatur. Itaque non probaverim hanc explicationem nisi uno loco qui legitur VII, 512: „Ardua tecta petit stabuli.“ Namque etsi VIII, 25, ubi inveniuntur: „jamque sub auras Erigitur summique ferit lacuaria tecti,“ singularis occurrit, tamen primum vocabulo summi nondum indicatum est, domum per se ipsam altissimam fuisse, deinde vero, si fieri potest, Vergilius genetivum pluralem primae et secundae declinationis aversatur, ut jam antea commemoravi. Quippe quae videatur fuisse caussa, cur etiam VIII, 366 posuerit singularem, quamquam paullo ante plurativum numerum invenimus. — Restat igitur, ut eum amplectamur explicandi modum, ex quo adsimilatus est numerus singulis domus conclavibus. Qui modus ea quoque re commendatur, quod re vera tectum saepius valet conclave: II, 454: „Limen erat

caecaeque fores et pervius usus Tectorum inter se Priami.“ 489: „Tum pavidae tectis matres ingentibus errant.“ Sed ut frequentissimum tectorum usum, ex quo domum vel aedes significant, exemplis probemus, haec sufficiant: II, 672: „clipeoque sinistram Insertabam aptans meque extra tecta ferebam.“ VIII, 584: „famuli conlapsum in tecta ferebant.“ VI, 13: „Jam subeunt Triviae lucos atque aurea tecta.“ 523: „Egregia interea conjunx arma omnia tectis Amovet.“ VII, 12: „Dives inaccessos ubi Solis filia lucos Adsiduo resonat cantu tectisque superbis“ cet. 77. 168. 413. 500. Cat. 64, 246: „Sic funesta domus ingressus tecta.“ Aliter vero 75: „Attigit iniusti regis Gortynia tecta,“ ad quem locum cf. Ov. Met. IV, 86: „Cumque domo exierint, urbis quoque tecta relinquant.“ At quod est A. X, 5: „Considunt tectis bipatentibus,“ unum conclave intellegitur, pluralis vero quantitati augendae inservit, atque conferas quae supra de atriis exponebantur. — Cum tectis non inepte conjunguntur d o m u s. Ac dicitur hujus verbi pluralis aut singulorum conclavium ratione habita, ut II, 635: „Atque ubi jam patriae perventum ad limina sedis Antiquasque domos;“ aut ex eodem more, quo speluncae vel antra: I, 140: „tenet ille immania saxa Vestras, Eure, domos.“ G. IV, 446: „Nam quis te, juvenum confidentissime, nostras Jussit adire domos.“ Quem in modum apud Ovidium etiam thalami dicuntur: Met. II, 797: „Sed postquam thalamos intravit Cecrope natae.“ IV, 218: „thalamos deus intrat amatos.“ Ceterum de alio vocabuli domus usu in §. 1, 1 egimus. —

Solere multa verba, quae spatium quoddam vel locum designent, pluraliter usurpari singularum partium respectu quoniam paullo ante jeci, jam pluribus probandus est hic usus. Quorum quae sunt t e r r a e l o c a alia exemplis illustrare non videtur opus esse. Nam quae accedunt plurali posito significationes subtiliores, per se patent, ut copiosiore de iis disputatione supersedere possimus, sufficiatque attulisse exemplum G. II, 274: „si pinguis a g r o s metabere campi Densa sere,“ quo loco plurali extollitur metandi notio. Nec r e g n a secus se habent, quorum magnitudinem haud raro pluralis indicat. A. VII, 217: „pulsi regnis, quae maxima quondam Extremo veniens Sol aspiciebat Olympo.“ cf. 313. 578. 735. VIII, 157. 244. 320. 471. 507 cet. — Sed admirandus est vocabuli quod est l i t o r a usus elegantissimus. Ad quem si inspicias locos quales sunt III, 643: „Centum alii curva haec habitant ad litora volgo Infandi Cyclopes.“ 691: „Talia monstrabat relegens errata retrorsus Litora Achaemenides.“ VII, 10: „Proxima Circaeae raduntur litora terrae.“ VI, 4: „Ancora fundabat navis et litora curvae Praetexunt puppes.“ Cat. 64, 74: „Egressus curvis e litoribus Piraei.“ A. VII, 764: „Eductum Egeriae lucis humentia circum Litora,“ nusquam vim pluralis non cognosces, qui efficit, ut litus latius patens ac se extendens ante oculos quasi nobis ponatur. Nec vero in his acquiescendum est. Etenim haud paucis locis hac ratione plurativa sententia ingenioso sane modo exornatur. Nam si III, 651 legimus: „Omnia conlustrans hanc primum ad litora classem Conspexi venientem,“ poeta ut pluralem poneret ea adductus est imagine, quod Achaemenides diu speculatus tandem procul

classem conspicit, quae ad eam fere partem litoris vela dirigit, ubi ipse consistit, ignorat tamen quo loco successura sit. Tum X, 290: „speculatus litora Tarchon;“ id est: huc illuc circumspicit, ut reperiat locum aptum quo navem adpellat. VII, 22: „Quae ne monstra pii paterentur talia Troes Delati in portus neu litora dira subirent,“ pluralis litoris notionem quasi extendit, ita ut totam insulam comprehendat; neque enim litus solum est dirum, sed tota insula, ut quam Circe incolat. 124: „Cum te nate fames ignota ad litora vectum Accisis coget dapibus consumere mensas“: unbekannte Küstengegenden; hoc enim loco numerus cum plurativo infinitum una complectitur, quo de more dicendi ea quoque velim inspicias, quae infra ad ortus disserui. G. I, 362: „Quum medio celeres revolant ex aequore mergi Clamoremque ferunt ad litora;“ mergi frequentes quidem, passim tamen terram appetunt. Nec aliter numerus singularis certam ac propriam vim multis locis ostendit, et iis quidem ubi aut litus per se consideratur — sive opponitur mari sive aliarum terrarum litoribus — aut certus quidam litoris locus designatur. A. III, 639: „Sed fugite o miseri, fugite atque ab litore funem Rumpite,“ intellege: fugite in mare et relinquite terram. VI, 6: „juvenum manus emicat ardens Litus in Hesperium,“ adversus litora tot aliarum terrarum, ad quae frustra adpulerant. Eodem modo VII, 198: „quae causa rates aut cujus egentis Litus ad Ausonium tot per vada caerula vexit?“ 215: „Nec sidus regione viae litusve fefellit.“ X, 309: „sed rapit acer Totam aciem in Teucros et contra in litore sistit.“ I, 213: „Litore aena locant alii flammasque ministrant.“ Ecl. II, 25: „Nec sum adeo informis: nuper me in litore vidi, Cum placidum ventis staret mare.“ A. VII, 229: „Dis sedem exiguam patriis litusque rogamus Innocuum.“ Quamquam et hic dicendum est, interdum non tantum interesse discrimen inter singularem et pluralem, ut hoc illove loco alteruter utique debeat poni, sed haud raro res ea est, ut, licet alter sententiae magis convenire videatur, tamen ne alter quidem prorsus perverse ponatur; quare talibus locis poeta et aliis poterat obsequi causis. Sic III, 598: „mox sese ad litora praeceps Cum fletu precibusque tulit“ dubito an aptior fuisset singularis, quia de loco agitur, ad quem Aeneas et socii adpulerant. VII, 798: „Qui saltus, Tiberine, tuos sacrumque Numici Litus arant,“ praeter pluralem etiam ripam exspectes. Ac mirum est, quod tot locis ablativus invenitur singularis pro ablativo plurali, neque memini nisi unius loci, ubi est dativus (quod ad idem redit) pluralis numeri, quamquam non negaverim posse etiam alios nonnullos inveniri; certe tamen rarissimus est usus. VII, 1: „Tu quoque litoribus nostris, Aeneia nutrix“ seqq. Contra ablativus singularis: VI, 362: „Nunc me fluctus habet versantque in litore venti,“ ad quam sententiam jam ob illud quod est versant melius quadraret pluralis. VII, 158: „Moliturque locum primasque in litore sedes“ cet., si sedes ponere volebat poeta, etiam litora poterat dicere. VII, 779: „Unde etiam templo Triviae lucisque sacratis Cornipedes arcentur equi quod litore currum Et juvenem monstris pavidi effudere marinis;“ ad currum secundum litus raptatum melius dici pluralem Ovidius sensit

quum scriberet, quamquam de re paullo diversa, Met. XV, 507: „Jamque Corinthiaci carpebam litora ponti,“ neque videtur non probabile aliud quid scripsisse Vergilium atque nunc legimus, id quod Marklandio quoque et Peerlkampo persuasum erat, quorum prioris praecipue conjectura: quod litora circum Heu juvenem seqq. (cf. Ribb.) admodum ingeniosa videtur. Corruptionis vero indicium id quoque haberi potest, quod ceteroquin dicere solet Vergilius: in litore (vide paullo infra). A. III, 16: „feror huc et litore curvo Moenia prima loco fatis ingressus iniquis,“ pluralis propter vocabulum curvo adcommodatior fuisset. Adde: IV, 397: „Tum vero Teucri incumbunt et litore celsas Deducunt toto navis.“ G. I, 398: „Non tepidum ad solem pinnas in litore pandunt Dilectae Thetidi alcyones.“ — At vero jure offendimus in loco qui legitur A. III, 419: „venit medio vi pontus et undis Hesperium Siculo latus abscidit, arvaque et urbes Litore diductas angusto interluit aestu?“ Hic enim utique intellegenda sunt duo litora, Hesperium atque Siculum, ut quae orta sint, quum mare terras antea continuas divelleret Ac primum non videtur veri simile, Vergilium verbum, quod pluraliter usurpare amet retenta notione singulari, si plures res significari interesset ad singularem numerum flexisse. Quamquam id quidem ferri posset aliis locis in comparationem vocatis, ubi in hunc modum egit poeta, metro, credo, vel euphonia commotus. Quam rem quia nemini video commemoratam, paucis exemplis illustrabo. I, 652: „Munera praeterea Iliacis erepta ruinis Ferre jubet, pallam signis auroque rigentem Et circumtextum croceo velamen acantho, Ornatus Argivae Helenae, quos illa Mycenis, Pergama cum peteret inconcessosque hymenaeos, Extulerat, matris Ledae mirabile d o n u m.“ II, 189: „Nam si vestra m a n u s violasset dona Minervae“ cet., sed 192: „Sin manibus vestris vestram ascendisset in urbem“ cet. 754: „et vestigia retro Observata sequor per noctem et l u m i n e lustro,“ et VIII, 153: „ille os oculosque loquentis Jamdudum et totum lustrabat lumine corpus.“ III, 242: „Sed neque vim plumis ullam nec volnera t e r g o Accipiunt.“ VII, 94: „Hic et tum pater ipse petens responsa Latinus Centum lanigeras mactabat rite bidentis Atque harum effultus tergo stratisque jacebat Velleribus.“ VIII, 522: „defixique ora tenebant Aeneas Anchisiades et fidus Achates, Multaque dura suo tristi cum c o r d e putabant.“ IX, 436: „lassove papavera c o l l o Demisere c a p u t.“ G. I, 508: „Et curvae rigidum falces conflantur in e n s e m.“ II, 196: „Sin armenta magis studium vitulosque tueri, Aut ovium f e t u m aut urentis culta capellas.“ III, 273: „illae O r e omnes versae in zephyrum stant rupibus altis.“ — Itaque, ut ad rem redeamus, ob hanc caussam de litore nondum desperaremus, modo ne ceteroquin scribere soleret poeta noster: in litore; cf. A. VI, 362. VII, 158. X, 309. G. I, 398. Ecl. II, 25, quamquam cum verbo locandi conjunctus invenitur ablativus merus: A. I, 213. III, 16; praeterea I, 196. Tum vero mihi quidem videtur litore additamentum quum superfluum tum inelegans atque injucundum, quum et per se pateat, si tradatur mare arva et urbes interluisse, haec in litore sita esse, et vocabulum illud participio quod est diductas minime conveniat,

pro quo exspectares: jacentes vel tale quid. Immo et sensus et enuntiatum quod antecedit, cui adjecta est sententia nostra illustrandi fere caussa neque novi quicquam addit, poscunt ablativum quem dicunt instrumentalem, et eum qui respondeat undis. Is vero est: aequore. Quod quum jam Seneca exhibeat, tamen cum ceteri editores tum Ribbeckius (prolegom. 202) injuria, ut videtur, aversati sunt. Neque, ut opinor, in ea re quisquam haerebit, quod, quomodo ductus hujus vocabuli in vocabulum: litore depravari potuerint, difficilius intellegitur. Namque id ne necessarium quidem est, quia saepissime in libris manu scriptis errores inde nati sunt, quod librarii oscitatione quadam aut verba similia inter se commutaverunt, aut aliud, quod forte in memoria haerebat, in locum substituerunt (Markland, ad Stat. silv. praef. VIII seqq.; Ribb. prolegom. 149). Vocabula autem frequentissima, quae sunt litus et aequor, facillime hunc in modum potuisse commutari, nemo non adgnoscet. — Jam vero A. XI, 261: „Militia ex illa diversum ad litus abacti Atrides Protei Menelaus adusque columnas Exsulat, Aetnaeos vidit Cyclopas Ulixes,“ quo et ipso loco intellegenda sunt plura litora, neque quin pluralis ponatur metrum obstat, scribere: diversa ad litora abacti, nullo modo dubito. Qui scribendi error facillime explicatur, si recte suspicatur Ribbeckius, archetypum codicum nostrorum dictatum esse (prolegom. 257 seq.). Vel, si quis de hac re dubitaret, ad compendia scripturae revocari posset mendum (ibid. 259). Sed de litoribus jam satis mihi dixisse videor.

Eadem fere in ripas transferri possunt. Si spectatur ripa, qualis se longius extendit, pluralis suum locum obtinet. VI, 305: „Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat.“ 319: „vel quo discrimine ripas Hae linquunt?“ Loco, qui est G. IV, 459: „hydrum moritura puella Servantem ripas alta non vidit in herba,“ plurativo numero amplificatur quodammodo notio servandi; neque enim eodem atque uno loco semper commorabatur hydrus, sed secundum ripam huc illuc serpebat. Ita saepe in universum tantum intellegitur regio, quae flumini adjacet, id quod etiam in locum illum Ovidianum cadit, qui legitur Met. II, 637: „Fluminis in rapidi ripis enixa.“ Sed A. VI, 314: „Tendebantque manus ripae ulterioris amore“ ripa ulterior per se ipsa opponitur citeriori, neque aliud quicquam expetunt umbrae, nisi ut flumen transmittant. Sic etiam 375: „Tu Stygias inhumatus aquas amnemque severum Eumenidum aspicies ripamve injussus adibis?“ — Denique de orae vocabulo si quis disputationem desideret, plerumque ad fines proxime accedit hujus vocabuli numerus pluralis, nisi quod saepe confinium terrae et maris spectat ora, orae igitur fines, qui ex parte quidem mari circumdantur, saepe significant. Comparet autem verus pluralis, qui ad rem nostram nihil pertinet. Sed aliam rem hac data occasione commemoraverim. Indicant enim, ut notum est, orae ambitum quoque clipei, ut X, 243: „(clipeum) quem dedit ipse Invictum Ignipotens atque oras ambiit auro.“ Jam vero 477, ubi sunt: „Illa volans humeri surgunt qua tegmina summa Incidit atque viam clipei molita per oras“ cet., eundem hunc pluralem legimus, quamquam hasta, credo, uno tantum loco oram clipei transverberavit.

Tamen amore pluraliter dicendi suo abreptus Vergilius pluralem retinuit (nisi mavis eam explicationem amplecti, quam infra ad aera protuli).

Quod vidimus, frequenter usurpari numerum plurativum colli et tergi, ut quasi depingantur serpentis volumina, porro VIII, 460, ubi leguntur: „pantherae terga retorquens," vestimenti nexus plurali clarius ostendi, in aliis quoque et similibus verbis reperiri potest hic usus. II, 133: „mihi sacra parari Et salsae fruges et circum tempora vittae." 156: „vittaeque deum quas hostia gessi." 168: „manibusque cruentis Virgineas ausi divae contingere vittas." — Tum I, 492: „Aurea subnectens exsertae cingula mammae." IX, 360: „Euryalus phaleras Rhamnetis et aurea bullis Cingula." XII, 942: „notis fulserunt cingula bullis Pallantis pueri." — Deinde G. III, 25: „Purpurea intexti tollant aulaea Britanni" sinus aulaei respiciuntur. — Porro Ecl. VI, 16: „Serta procul, tantum capiti delapsa, jacebant." Atque A. VII, 390: „solum te virgine dignum Vociferans, etenim mollis tibi sumere thyrsos" cet. cur plures thyrsos velit accipi Ladevicus, equidem ignoro. Unus sufficit; pluralis vero positus quum propter ipsum thyrsum lentum, tum ob pampini hederaeque nexus; cf. Ecl. V, 31: „Et foliis lentas intexere mollibus hastas." — Denique A. VI, 141: „Sed non ante datur telluris operta subire Auricomos quam qui decerpserit arbore fetus," qui locus quomodo huc pertineat cognoscas ex 136 seq.: „latet arbore opaca Aureus et foliis et lento vimine ramus," etsi de ea quoque explicandi via cogitari potest, quam ad expediendas cristas ac barbas supra ingressi sumus, vel de utraque fortasse. Ov. Met. II, 420: „Exuit hic humero pharetram lentosque retendit Arcus." III, 166: „pharetramque arcusque retentos." — Nec inepte his adnectuntur cursus, quem pluralem iis potissimum locis in usum vocare Vergilius amat, ubi flexus itineris indicari interest. A. III, 146: „unde laborum Temptare auxilium jubeat, quo vertere cursus." 430 „Praestat Trinacrii metas lustrare Pachyni Cessantem longos et circumflectere cursus." V, 131: „unde reverti Scirent et longos ubi circumflectere cursus." IV, 196: „Protinus ad regem cursus detorquet Jarban." V, 738: „torquet medios Nox humida cursus." VI, 350: „Namque gubernaclum multa vi forte revolsum Cui datus haerebam custos cursusque regebam Praecipitans traxi mecum;" fert res ipsa, ut pluralis flexus respiciat itineris maritimi, quibus gubernator prudens modo saxa vadaque devitat, modo vento cedit nec tamen umquam metam prospicere desinit. Simili modo potest explicari quod legitur VII, 8: „Adspirant aurae in noctem nec candida cursus Luna negat," quamquam et hic et aliis locis potest usurpatus esse pluralis singularum spatii partium habita ratione. Quod idem de III, 695: „Alpheum fama est huc Elidis amnem Occultas egisse vias supter mare" dici posset, nisi verbo quod est occultas prior explicatio magis conveniret. Sic etiam XI, 525: „(Est valles) quam densis frondibus atrum Urget utrimque latus tenuis quo semita ducit Angustaeque ferunt fauces aditusque maligni." —

At interrumpendum tandem videtur esse filum, quod hactenus duximus, commentationis, ne alia quaedam verba omittamus et digna sane ad quae intendatur animus. Inveniuntur autem pluraliter usurpata: currus, quia inhaerebat poetae rotarum, biga et quadriga, quod ante mentem versabatur equorum imago. VI, 485: „Idaeumque etiam currus, etiam arma tenentem.“ X, 574: „Effunduntque ducem rapiuntque ad litora currus.“ 592: „Lucage, nulla tuos currus fuga segnis equorum Prodidit.“ XII, 918: „Nec currus usquam videt aurigamque sororem.“ Et Ovidius Met. IV, 630: „dum Lucifer ignes Evocet Aurorae, currus Aurora diurnos.“ II, 146: „non curribus utere nostris.“ 148: „Dumque male optatos nondum premis inscius axes.“ 177: „Quamvis tardus eras et te tua plaustra tenebant.“ A. VII, 26: „Aurora in roseis fulgebat lutea bigis.“ X, 594: „Ipse rotis saliens juga deseris.“ VI, 535: „Hac vice sermonum roseis Aurora quadrigis Jam medium aetherio cursu trajecerat axem.“ G. I, 512: „Ut cum carceribus sese effudere quadrigae“ cet. — Nec secus se habeant arâtra G. III, 519: „Atque opere in medio defixa relinquit aratra,“ si verum sit quod contendunt, aratro jam Vergilii temporibus fuisse rotas (cf. Heynii et Wagneri ad G. I. excursum primum). Tamen etiam de diversis aratri partibus cogitare liceat, quas descriptas habes G. I, 169 seqq. Certe de claustris sic judicandum videtur, quae inde a Catullo: 61, 76: „Claustra pandite januae“ ab omnibus poetis frequentissime significatione singulari usurpantur. A. I, 56: „Illi indignantes magno cum murmure montis Circum claustra fremunt.“ II, 259: „pinea furtim Laxat claustra Sinon.“ 491: „nec claustra neque ipsi Custodes sufferre valent.“ Metaphorice III, 411: „angusti rarescent claustra Pelori.“ G. II, 161. — Aliud adsimilationis genus collectiva quaedam nomina ostendunt, ad quae multarum, quas complectuntur, rerum species quasi transiit, ita ut ad pluralem numerum sese inclinaverint. A. III, 157: „Nos tumidum sub te permensi classibus aequor.“ 300: „Progredior portu classes et litora linquens.“ IV, 582: „Litora deseruere, latet sub classibus aequor.“ X, 269: „donec versas ad litora puppes Respiciunt totumque adlabi classibus aequor.“ Similiter Tacitus, frequentissimus ille Vergilii imitator, Ann. I, 52: „cunctaque quae Germanicus indulserat, servavit etiam apud Pannonicos exercitus“ ad quem locum plura hujusmodi exempla collegit Nipperdejus. — A. I, 185: „tris litore cervos Prospicit errantis, hos tota armenta sequuntur;“ nam falsa esse quae adnotat Nauckius: singula singulorum cervorum armenta intellegenda esse, quum propter analogiam suspicari liceat, tum demonstrant loci, quorum alter est XII, 719: „Stat pecus omne metu mutum mussantque juvencae Quis nemori imperitet quem tota armenta sequantur,“ ubi de pluribus armentis ne cogitari quidem potest, alter legitur Ecl. VI, 59: „forsitan illum Aut herba captum viridi aut armenta secutum Perducant aliquae stabula ad Gortynia vaccae;“ (cf. 55: „Aut aliquam in magno sequitur grege“). Neque is, qui invenitur A. III, 540: „Bello armantur equi, bellum haec armenta minantur,“ quum de quatuor equis agatur, huc non pertinet. — Sed latius patet usus. Nam etiam quod legitur

VII, 364: „Helenam vexit Trojanas ad urbes“ effectum est cogitatione in aedificiorum immensa multitudine defixa, atque VI, 753: „conventus trahit in medios“ positi sunt conventus certe ob frequentiam animarum beatarum. Quae quum ita sint, consentaneum videtur, etiam fati oraculi carminis cantus vocabula pluralem numerum facile adsumere singulorum verborum vel versuum vel partium respectu. Sed ad fata, quae innumeris fere locis et unaquaque pagina apud Vergilium exstant, exempla non desiderabis; de ceteris videas haec: II, 114: „Suspensi Eurypylum scitantem oracula Phoebi Mittimus.“ VII, 81: „At rex sollicitus monstris oracula Fauni, Fatidici genitoris, adit.“ VIII, 131: „Sed mea me virtus et sancta oracula divom — Conjunxere tibi.“ Ecl. V, 14: „quae cortice fagi Carmina descripsi et modulans alterna notavi Experiar;“ cf. 55. X, 3: „Pauca meo Gallo, sed quae legat ipsa Lycoris Carmina sunt dicenda.“ A. VII, 641: „Pandite nunc Helicona, deae, cantusque movete;“ cf. X, 163 et Ov. Met. X, 149 a Ladevico excitatum. Postremo, ut diversissima hoc loco liceat cogere in unum, afferendus est versus A. IV, 646: „altos Conscendit furibunda rogos ensemque recludit.“ Nam si, ut antea saepissime, et hac in re Ovidio aliquid tribuimus, ligna, quibus exstructus erat rogus, plurali respiciuntur: Met. IV, 166: „Quodque rogis superest una requiescit in urna.“ Uno rogo comburebantur Pyramus et Thisbe. — Verba autem quae sunt clamor clangor crepitus fletus gemitus latratus mugitus murmur sonitus sonor stridor tinnitus ululatus vocatus, quamquam notione sua proprie multitudinem quandam vocum complectuntur, tamen etiam metonymia notionem latius patentem ad unam harum vocum significandam constringere possunt. Itaque si pluraliter ponuntur, duplex explicandi ratio exsistit, quum aut adsimilatio aut propter metonymiam verus pluralis intellegi possit. Atque hanc si sequimur, paullo fortius etiam extollitur pluralitas, sed verum significationis discrimen non exstare patet. Tamen ea videtur seligenda esse ratio, quae vividiorem reddit orationem; quae est metonymia. Itaque exempla adferre opus non est. —

Res et actiones, quae per spatium quoddam temporis fiunt atque expediuntur, pluraliter possunt exprimi, si singula nascendi momenta respici vult poeta. Quare A. VII, 40: „primae revocabo exordia pugnae“ exordia significant omnes res rationesque, quarum alia aliam adjuvare debebat, ut tandem bellum evaderet; apparet igitur agi rem, quae paullatim facta et exorta sit. G. IV, 316: „Unde nova ingressus hominum experientia cepit?“ nollem explicasset Ladevicus: nahm Eingang, fand Verbreitung, qua ab sententia jam id eum debuit deterrere, quod saepissime ingredi valet incipere, nec in oratione solum sed in factis quoque, cf. A. XI, 704. Immo: ingressus capere est idem atque: initium, exordium repetere ab aliqua re; pluralis vero apertissime spectat longiorem copiosioremque de Aristaeo fabulam, quae continuo sequitur. Itaque intellegas: Quales fuerunt res quae sensim efficerent ut ratio apes artificioso modo procreandi innotesceret? A. IV, 284: „Heu quid agat? quo nunc reginam ambire furentem Audeat adfatu? quae prima exordia sumat?“ haud dubie pluralis ostendit

multas illas ambages, quae opus erant Aeneae, ut Didoni consilium proficiscendi pedetentim ac leniter insinuaret; variatur igitur id quod antea ambiendi verbo expresserat poeta. Quae quum ita sint, apud Ovidium Met. II, 43: „nec tu meus esse negari Dignus es, et Clymene veros, ait, edidit ortus,“ extremum hoc verbum non valet nudam originem, sed omnia, quae cum ortu Phaethontis cohaerebant (Geschichte deiner Herkunft). Ceterum non possum adsentiri Hauptio, qui ad Met. I, 779: „patriosque adit impiger ortus“ et II, 190: „Et modo quos illi fatum contingere non est Prospicit occasus interdum respicit ortus,“ censet numeros plurativos positos esse, quia quotidie illis locis sol oriretur et occideret, qualis cogitatio quum priore loco supervacanea et inepta esset, tum hoc loco omnino sensu careret, quia nullo modo intellegi potest, quomodo ad Phaethontis discrimen pertineat. Est vero usurpatus pluralis eadem ratione, quam supra in litoribus tractavimus; neque enim designandus est unus ac certo definitus locus, sed regio quaedam in universum spectatur. Sic ad utrumque locum optimus efficitur sensus: ad priorem, quia eae quoque quae antecedunt locorum significationes admodum sunt infinitae ac generales; ad posteriorem, quia Phaethon tam alte jam evectus est ad orbem caeli, ut loca ortus et occasus quasi nebulosa natent ante oculos. Compares insuper Met. IV, 626: „Saepe sub occasus, saepe est ablatus in ortus.“ Verg. G. III, 277: „Diffugiunt non, Eure, tuos, neque Solis ad ortus.“ Ceteroquin Vergilius ortus vocabulo uti solet per metonymiam, ita ut indicentur lumina radiique solis exorientis. G. IV, 544: „Post ubi nona suos Aurora ostenderit ortus,“ cf. 552. A. IV, 118: „In nemus ire parant, ubi primos crastinus ortus Extulerit Titan.“ VI, 255: „Ecce autem, primi sub lumina solis et ortus, Sub pedibus mugire solum.“ — X, 632: „et in melius tua, qui potes, orsa reflectas.“ Ov. Her. XIV, 18: „Et subitus dextrae praepedit orsa tremor.“ Aliis aqud Vergilium locis orsa valere solent dicta. — A. II, 118: „Sanguine quaerendi reditus animaque litandum Argolica,“ i. e. omnes conditiones, quibus parari et fieri potest reditus.“ XI, 54: „Hi nostri reditus expectatique triumphi,“ intellege: tantae sunt res adversae inter quas redeundum nobis est. X, 436: „Egregii forma sed quis fortuna negarat In patriam reditus,“ nescio an verus pluralis adgnoscendus sit, quippe qui et ad Pallantem et ad Lausum referatur; sicut Tibullus I, 3, 13: „Cuncta dabant reditus,“ quod hunc in modum explices: omnes artes, quibus Delia numen deorum de Tibulli itinere explorare studuerat, effecerunt, pro se quaeque, ut reditus daretur. — A. IV, 293: „sese interea quando optuma Dido Nesciat et tantos rumpi non speret amores Temptaturum aditus et quae mollissima fandi Tempora, quis rebus dexter modus.“ In verbo adeundi jam inest notio communicandi. Atqui semel consilium proficiscendi cum Didone communicasse satis habere poterat Aeneas. Itaque de vero plurali cogitari non potest. Intellegas: se temptaturum conditiones rerum opportunas inter quas Didonem adire posset. Ea quae sequuntur: quae mollissima fandi tempora, accuratius definiunt, novi nihil addunt, et in eundem modum comparata est tota sententia atque ea quae paullo supra

legitur: „quo nunc reginam ambire furentem Audeat adfatu? quae prima exordia sumat?“ Aliter Ladevicus. Sed quo modo Dido Aeneae consilium acceptura esset, de ea re dubitare ipse non poterat. Ceterum redit enuntiatum 423, ubi tamen aditus et tempora veri plurales habendi sunt. — IV, 694: „Tum Juno omnipotens longum miserata dolorem Difficilesque obitus Irim demisit Olympo“ (den schweren Todeskampf). — Porro huc trahendi sunt doli saepissime obvii. Quod verbum ut pluraliter ponatur res ipsa fert, quum significet factum dolosum, id vero ex natura sua lente ac paullatim procedat. I, 673: „Quocirca capere ante dolis et cingere flamma Reginam meditor,“ sed de eadem re collectivo modo IV, 95: „Una dolo divom si femina victa duorum est.“ I, 682: „Ne qua scire dolos mediusve occurrere possit,“ vide quam egregie conveniat pluralis medio vocabulo. II, 62: „Seu versare dolos seu certae occumbere morti.“ IV, 128: „Adnuit atque dolis risit Cytherea repertis.“ 296. 563. al. — Deinde commemoranda sunt II, 643: „satis una superque Vidimus excidia et captae superavimus urbi.“ 780: „Longa tibi exilia et vastum maris aequor arandum,“ quae parum accurate habet Ladevicus pro erroribus extra patriam; errorum notio non inest. G. IV, 340: „Altera tum primos Lucinae experta labores.“ 397: „Expediat morbi caussam eventusque secundet“ scilicet calamitatem Aristaei, qui morbo fameque apes amiserat. Sed A. VI, 158; X, 160 veri plurales leguntur. In verbis quae sunt morae otia desidiae plurali numero, qui ad singulas temporis partes considerandas adducit animum, notiones cunctandi et cessandi augentur. II, 282: „Quae tantae tenuere morae?“ IV, 569: „Heia age, rumpe moras.“ VIII, 443: „Praecipitate moras.“ X, 485: „Vibranti cuspis medium transverberat ictu Loricaeque moras et pectus perforat ingens.“ III, 453: „Hic tibi ne qua morae fuerint dispendia tanti.“ IV, 271: „Quid struis? aut qua spe Libycis teris otia terris?“ VI, 813: „cui deinde subibit Otia qui rumpet patriae.“ G. III, 377: „Ipsi in defossis specubus secura sub alta Otia agunt terra.“ Ecl. V, 61: „amat bonus otia Daphnis.“ A. IX, 615: „Vobis picta croco et fulgenti murice vestis, Desidiae cordi.“ Sed quae leguntur VI, 715 oblivia huc non pertinent, quum dicantur de multis rebus illis, quae potando e memoria evanescunt, ut apud Lucretium III, 828: „Adde furorem animi proprium atque oblivia rerum.“ — Denique de somnis dicendum est. Quem pluralem si putares indicare auctam notionis qualitatem, ita ut valeret fere altum et dulcem somnum, hanc opinionem prorsus rejiceres leviter perlustratis locis ubi legitur. Namque in ipsis iis sententiis saepe invenitur, ubi inquietum ac turbidum fuisse somnum res ipsa docet. Sic si de diris somniis narratur A. I, 353. II, 270. IV, 353. 466. XII, 908, vel si describitur Aeneas dormiens nocte, qua perlapsa Karthaginem relicturus est IV, 555, vel si de incubatione quadam agitur VII, 88. Quod si quis his locis fretus eam sententiam arripere vellet, variorum somniorum vivida imagine inclinatum esse verbum in pluralem numerum, repugnarent loci, ubi aperte dulcis et quietus somnus significatur cf. G. I, 342. II, 470. III, 435. Quae difficultates omnes tolluntur, si sumimus poetam, quum somnus ut status quietis

utique per spatium quoddam temporis se extendens fingatur, singulas temporis partes respexisse. Praeterea favet huic judicio etiam illud Vergilianum: carpere somnos, non somnum. Quum enim valeat carpere: aliquid per partes comprehendere, notio pluralitatis, et ejus quidem in quam tendimus, clare apparet; nec tamen necesse est illud: carpere somnos accipiatur, quasi quis tempus quoddam dormiendo peragat ita ut e somno nonnumquam excitetur. A. IV, 555: „Aeneas — Carpebat somnos rebus jam rite paratis." G. III, 435: „Ne mihi tum mollis sub divo carpere somnos Neu dorso nemoris libeat jacuisse per herbas." Sic etiam de loco dicitur carpere: Ov. Met. XV, 507: „Jamque Corinthiaci carpebam litora Ponti," quem locum affert Ladevicus ad G. III, 325. Jam praeter locos supra excitatos alios nonnullos adscribo. A. II, 9: „et jam nox humida caelo Praecipitat suadentque cadentia sidera somnos." cf. IV, 81. 244: „hac animas ille evocat Orco Pallentis alias sub Tartara tristia mittit, Dat somnos adimitque et lumina morte resignat." 530: „At non infelix animi Phoenissa neque umquam Solvitur in somnos." 557: „Huic se forma dei voltu redeuntis eodem Obtulit in somnis rursusque ita visa monere est." VII, 754: „Umbro Vipereo generi et graviter spirantibus hydrus Spargere qui somnos cantuque manuque solebat." Cat. 64, 331: „Languidolosque paret tecum conjungere somnos." — A. III, 151: „Effigies sacrae divom Phrygiique Penates, Quos mecum ab Troia mediisque ex ignibus urbis Extuleram, visi ante oculos astare jacentis In somnis, multo manifesti lumine, qua se Plena per insertas fundebat luna fenestras." Locus a multis multum perpensus. Editores recentiores Jahnius Wagnerus Forbiger Gossrau Hauptius Ribbeckius Ladevicus acquiescunt in codicum lectione, quam Jahnius ita interpretatus est: Mihi somnianti videbatur luna per fenestras lumen immittere, quo clari ac manifesti, non obscuri, penates apparebant. Verba autem: nec sopor illud erat, significant: non somnium vanum fuit, sed vere mihi apparuere penates. Ac tamen tam multa et gravissima contra hanc lectionem proferri possunt, ut mihi quidem persuasum fere sit, recte eam non habere. Etenim qui faciunt Aeneam somniantem, lunam splendore suo superfudisse penates, ita ut manifesti ante oculos ei adstitissent, non videntur meminisse, diis, si cui dormienti apparerent non opus fuisse alieno lumine, quum ipsi lucem clarissimam effundere putarentur. Tum vero ante omnia etiam id sumendum esset, fuisse somnianti contemplationem caliginis circumfusae, nec enim, credo, erunt, qui tenebras, quae revera tegunt jacentem, sine mora ad somnia quoque ejus transferri velint. Nam quod IV, 570 leguntur: „sic fatus nocti se immiscuit atrae," prorsus alia res est de ea caussa, quod ipse Mercurius re vera adiit Aeneam eadem forma atque prius se illi obtulerat vigilanti (cf. 556—559); itaque, quum nox esset, dicit poeta: nocti se immiscuit, sicut supra dixerat: in tenuem auram evanuit (v. 278). Deinde jure quaeri potest, qui factum sit ut enuntiatum quod est: manifesto in lumine IV, 358 dicatur de Mercurio vere apparente, sicut convenit significationi vocabuli, hoc autem loco idem fere de somnio usurpetur, ac licet sententiam, quae est: nec sopor

illud erat (v. 173) ex imitatione Homerici ὕπαρ explicemus, cur positum est: coram et: adgnoscere? Et, quod gravissimum est, cur nusquam indicatur, Aeneam expergisci? id quod ceteroquin commemorare numquam omittit Vergilius si de somniis refert. Sic II, 302: „Excutior somno," sic IV, 572: „Corripit e somno corpus," et VII, 458: „Illi somnum ingens rumpit pavor," et VIII, 67: „nox Aenean somnusque reliquit." Sed hoc loco nihil dicitur nisi: Corripio e stratis corpus (v. 176). Quare non video, quo modo contra has dubitationes lectio codicum defendi possit; nam unum illud videbar, quamquam aliis locis de somniis dici solet, nihil dumtaxat indicat nisi incertum quoddam atque infinitum. Itaque cum Heynio censeo esse in unum vocabulum cogenda verba in somnis. Sed hactenus tantum adsentior. Neque enim est genetivus singularis insomnis, sed accusativus pluralis, qui ad oculos pertineat. Jam conferas Stat. Theb. III, 328: „Insomnes oculos rubor excitat." Apparet autem opponi Aeneam insomnem ceteris animalibus dormientibus (v. 147), quae ratio redit IV, 527 et 530. —

Ad finem perductis his, jam nostrum est de duobus verborum generibus copiosius disserere late sane patentibus, quorum prius animum omnesque animi affectus, posterius vero eas continet notiones, quae materiam quandam indicant. Infinita igitur sunt ac finita. Atque quae ad illud genus spectant si in numerum pluralem abeunt, adsimilatur forma frequentiae rerum ei, quae verbo illo infinito continetur vel ex eo nascitur. Hae vero res, si de animi vocabulo generaliore agitur, cernuntur in motibus animi atque affectibus; si ipsi hi intelleguntur, iis constant, quae in homine affectu animi aliquo vehementer commoto palam fiunt. Itaque animi explicari possunt animo excitato permotoque, affectus vero, quum ratio, qua emicant et quasi in conspectum procedunt, accurate respondeat ipsorum vehementiae ac vigori necesse sit, eam, si pluraliter usurpantur, adsumunt significationem, quam adsequaris additis vocabulis qualia sunt forte vehemens grave fervidum altum alia, ita ut hac interpretandi ratione idem fere efficiatur atque ea, quam §. 1, 2 ingressi sumus. Quod si sunt qui explicent iras per: Regungen des Zorns, odia per: Regungen des Hasses, aut falsa aut vana proferunt; falsa, si accurate verba eorum premimus, ut intellegantur commotiones quaedam, quae carptim et nonnumquam animum perstringunt; vana, si haberi volunt Regungen pro affectibus, quum ira atque odium ipsa sint affectus, neque de affectuum affectibus dici possit. — At quam religiosissime segreganda est alia quaedam dicendi ratio, ex qua notiones illae infinitae per metonymiam transferuntur in res, quibus aut in quibus comparent (metonymiam recte appellat Rothius ad Agricol. pag. 112. Quae Naegelsbachius exponit in libro quem de arte latine scribendi edidit pag. 132, partim recte omnino non habent partim admodum vaga sunt). Ibi enim significatio ipsa verborum commutatur, quorum jam non forma solum, sed etiam indoles in pluralem cedit, nec valent animi — ut hoc exemplo utar — animum commotum sed: animi commotiones. Quae res nihil jam miri praebet, neque altius in eam inquirere interest. Atque prior tantum vere est poetarum, haec autem apud omnes scriptores

tritissima, quippe quae inde provenerit, quod Romani, omnia omnino infinita aversantes notiones finitas iis subdere solebant. Jam vero illico suspiceris, id quod ipsa quaestio confirmat, multis locis in lubrico nos versari, utrum in animo aut affectu ipso, an in affectibus aut affectus indiciis major posita sit vis, ita ut aut prior aut posterior explicandi ratio nobis sequenda sit. Nam saepe nec cetera enuntiationis membra nec tota sententia ipsa quicquam subsidii nobis suppeditat. Sic A. I, 11: „tantaene animis caelestibus irae?" si duos qui antecedunt versus respicimus, ita explicare liceat: num deus ira sua ad tanta facta auferri potest? sed si sumimus pluralem non positum esse nisi ut tantae vocabulum acueret, etiam hic potest subesse sensus: num deo esse potest ira tam implacabilis? Vel VII, 42: „Dicam acies actosque animis in funera reges," incertum est utrum interpretemur: reges qui animi cupiditatibus an: qui acri ac vehementi animo suo in exitium acti sunt. Quum igitur facere non possimus, quin in uniuscujusque ponamus arbitrio, utram talibus in locis eligat sibi explicationem, tamen id quoque colligi potest, saepe haud ita magnum inter eas discrimen interesse. Utut tamen res est, in magna locorum copia quid spectaverit poeta admodum certo intellegi posse puto.

Primum de animis si disserimus, prior ratio certe omnibus iis locis adgnoscenda est, ubi agitur de uno et clare indicato affectu. I, 722: „vivo temptat praevertere amore Jam pridem resides animos desuetaque corda," haud dubie de nulla re nisi de Sychaei amore cogitandum est. II, 316: „Sed glomerare manum bello et concurrere in arcem Cum sociis ardent animi." 386. V, 462: „Et saevire animis Entellum haut passus acerbis." 473. VIII, 228: „Ecce furens animis aderat Tirynthius" (wildbewegter Sinn). 256. VII, 475: „Dum Turnus Rutulos animis audacibus implet" (kühnbewegter Sinn). Ov. Met. IV, 421: „natis thalamoque Athamantis habentem Sublimes animos." A. IX, 703: „Bitian ardentem oculis animisque frementem." X, 250: „stupet inscius ipse Tros Anchisiades, animos tamen omine tollit," prolepsin intellege. G. III, 119: „Exquirunt calidumque animis et cursibus acrem." Adjungi potest A. IX, 184: „Nisus ait: dine hunc ardorem mentibus addunt," ubi redit prolepsis modo observata. IV, 414: „Ire iterum in lacrimas, iterum temptare precando Cogitur et supplex animos summittere amori," dubius sis, an sit ratio posterior statuenda, si ad doloris desperationis odii irae superbiae affectus intenditur animus, qui Didonem discerpunt; tamen si nobiscum reputamus enuntiata quae sunt precando supplex summittere, melius videtur esse ad superbiam solam referre animos ex ratione priore. Contra III, 342: „Ecquid in antiquam virtutem animosque viriles Et pater Aeneas et avonculus excitat Hector" metonymiam habemus, quum indicet vox virilis genus virtutum plures comprehendens. VI, 261: „Tuque invade viam vaginaque eripe ferrum, Nunc animis opus, Aenea, nunc pectore firmo;" animus valet: Muth; atque possunt intellegi facta quae ex animo forti nascuntur ratione habita eorum quae antecedunt; sed si desideratur quod accurate respondeat pectori firmo explices fere: animum fortem vel ardentem.

Certi quid statuere non ausim. — amores. I, 350: „ille Sychaeum Clam ferro incautum superat securus amorum Germanae“ (cf. 344: „et magno miserae dilectus amore“). De eadem re IV, 28: „Ille meos, primus qui me sibi junxit, amores Abstulit.“ V, 334: „Non tamen Euryali, non ille oblitus amorum.“ Ecl. IX, 56: „Causando nostros in longum ducis amores.“ X, 6: „sollicitos Galli dicamus amores.“ 34: „Vestra meos olim si fistula dicat amores.“ Sed A. IV, 292: „quando optima Dido Nesciat et tantos rumpi non speret amores“ jam ob rumpendi vocabulum cavendum est ne de affectu cogitemus; nam accipi vult poeta amoris testimonia factaque, quibus Dido Aeneam sibi devinctum tenet: quod se tota ei commisit, quod summum Karthaginis imperium in eum detulit, quod laesit fidem Sychaei manibus promissam, quod subiit odia tot procorum a se contemptorum. Nec id fortasse a vero multum recedit, amorum verbo hoc loco in universum spectari foedus amoris, pluralem autem ex eadem ratione positum esse qua foedera, de quibus videas quae supra disputavi, imprimis VIII, 540: „foedera rumpant.“ Cat. 78, 3: „nam dulces jungit amores.“ A. X, 326: „Dardania stratus dextra, securus amorum, Qui juvenum tibi semper erant, miserande jaceres,“ amores sunt rationes amoris, juvenum genetivus objectivus qui dicitur, atque aliam vim habet enuntiatum hoc loco ac supra. G. III, 227: „tum quos amisit inultus amores,“ de rebus Venereis agi ex iis quae praecedunt sine dubitatione efficitur. Ecl. VIII, 23: „semper pastorum ille audit amores,“ intellegenda sunt carmina quae ad amorem spectant, qua significatione et Ovidius amorum vocabulo usus est. — odia. A. I, 668: „Frater ut Aeneas pelago tuus omnia circum Litora jactetur odiis Junonis acerbae, Nota tibi;“ affectum ipsum adgnoscendum esse vel inde potest colligi, quod ea quae ex odio Junonis proveniunt sunt ipsi Aeneae errores. Neque aliter V, 786: „Non media de gente Phrygum exedisse nefandis Urbem odiis satis est.“ VII, 336: „Tu potes unanimos armare in proelia fratres Atque odiis versare domos;“ nihil agendum est, nisi ut excitetur odium, quod antea non erat. XI, 122: „Tum senior semperque odiis et crimine Drances Infensus juveni Turno“ cet., crimen demum est, quod ex odio nascitur. Verum II, 96: „Promisi ultorem et verbis odia aspera movi,“ magis arridet explicare: facta odii asperi, ita ut ea quae sequuntur fusius clariusque exponant, quamvis certa non sit res. VII, 298: „at, credo, mea numina tandem Fessa jacent, odiis aut exsaturata quievi;“ pendet inde explicatio, utrum habeamus verbum quod est odiis pro ablativo restrictionis an instrumenti, qui vocantur, nam si prius sumimus, explicandi ratio prior est veri similis, si posterius magis placet altera statuatur ratio necesse est. — irae. II, 381: „trepidusque repente refugit Attollentem iras et caerula colla tumentem.“ Cogitandum esse de nascente affectu ipso quum tota sententia tum attollentem vocabulum demonstrat. IV, 197: „Protinus ad regem cursus detorquet Jarban, Incenditque animum dictis atque aggerat iras.“ VII, 345: „Quam super adventu Teucrum Turnique hymenaeis Femineae ardentem curaeque iraeque coquebant.“ 445: „Talibus Allecto dictis exarsit in iras.“ VIII, 40: „tumor

omnis et irae Concessere deum.“ Huc referendi sunt ignes quoque. II, 575: „Exarsere ignes animo; subit ira cadentem Ulcisci patriam,“ quoniam ignis etiam singulariter vehementissimam animi commotionem exprimit, ut VII, 577: „Turnus adest medioque in crimine caedis et igni Terrorem geminat.“ Cat. 64, 226: „Nostros ut luctus nostraeque incendia mentis“ cet. Tum amorem flagrantissimum indicant: Ecl. V, 10: „Incipe Mopse, prior, si quos aut Phyllidis ignes Aut Alconis habes laudes,“ singulariter: A. IV, 2. Cat. 35, 15: „ex eo misellae Ignes interiorem edunt medullam.“ Ceteroquin si apud Vergilium invenitur pluralis, metonymia intellegenda est. Sed redeamus ad iras. A. III, 366: „Sola novum dictuque nefas harpyia Celaeno Prodigium canit et tristis denuntiat iras“ sine dubio adgnoscendae sunt res adversae quae deorum ira efficiuntur. IV, 564: „variosque irarum concitat aestus,“ i. e. cogitationum et dolorum ira excitatorum, quum versus 532: „rursusque resurgens Saevit amor, magnoque irarum fluctuat aestu“ sic accipiendus sit: amor denuo exardescens huc illuc fluctuat vehementissimae irae affectu, quippe quae repugnet amori. Rursus posterior explicandi ratio adhibenda VII, 15. 305. 326. Multis locis sub judice lis relinquenda est. — furores. VII, 406: „Postquam visa satis primos acuisse furores.“ IV, 501: „Non tamen Anna novis praetexere funera sacris Germanam credit nec tantos mente furores Concipit.“ Cat. 64, 54: „Indomitos in corde gerens Ariadna furores.“ — In verbo quod est furiae quum incertum sit, num omnino et quatenus Furiarum imago ad ponendum pluralem fecerit, missum id facio, eodemque modo hoc verbum tracto atque simile quod modo attuli. A. VIII, 205: „At furiis Caci mens effera.“ 219: „Hic vero Alcidae furiis exarserat atro Felle dolor.“ 494: „Ergo omnis furiis surrexit Etruria justis.“ XII, 946: „Ille oculis postquam saevi monimenta doloris Exuviasque hausit, furiis accensus et ira“ cet. G. III, 244: „Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque — In furias ignemque ruunt: Amor omnibus idem.“ At A. X, 68: „Italiam petiit fatis auctoribus (esto) Cassandrae impulsus furiis“ sensus est: impulsus oraculis quae fudit vates furens. Etiam I, 41: „Unius ob noxam et furias Aiacis Oili?“ furias arctissime cum noxa conjungi oportet et explicari per: facta furiosa, vel proprie: factum furiosum, qua in re quid significet pluralis paullo ante vidimus. Eodem modo IV, 474: „Ergo ubi concepit furias evicta dolore Decrevitque mori“ cogitandum est de cogitationibus consiliisque quae ex furore nascebantur. — G. IV, 332: „Ure sata et duram in vitis molire bipennem Tanta meae si te ceperunt taedia laudis“ ex priore ratione; sed Ecl. II, 15: „Nonne fuit satius, tristis Amaryllidis iras Atque superba pati fastidia“ ex posteriore dictum, nam fastidio nemo potest torqueri, nisi id aliquo modo se ostendit. Neque quod est A. III, 326: „Stirpis Achilleae fastus juvenemque superbum, Servitio enixae, tulimus“ secus accipiendum est. — metus. IX, 90: „Solve metus atque hoc precibus sine posse parentem;“ quum solvendi verbo quodammodo contrarium sit capiendi quo utuntur Romani, si aliquis affectus animum incedit, et hoc loco affectum metus ipsum intellegendum esse duco (die bange Furcht).

Item I, 463: „Solve metus; feret haec aliquam tibi fama salutem.“ Cat. 64, 99: „Quantos illa tulit languenti corde timores.“ Sed A. VII, 438: „Ne tantos mihi finge metus“ ex indole et usu fingendi verbi nihil possunt significare metus nisi cogitationes imaginesque quae oriuntur ex metu (Besorgnisse). Locis quales sunt XII, 316: „Me sinite atque auferte metus“ et V, 812: „Nunc quoque mens eadem perstat mihi, pelle timores“ desunt omnino, quibus ad certum interpretandi judicium perducamur; ex re utraque ferri potest explicatio. G. II, 491: „Atque metus omnis et inexorabile fatum Subjecit pedibus“ cogitationes timidas indicare voluisse poetam vel ex verbo quod est omnis apparet. — A. I, 502: „Latonae tacitum pertemptant gaudia pectus.“ Quod Ladevicus ad G. III, 250 pertemptare reddit per: durchzucken, durchbeben, rectene egerit dubito. His enim verbis si utimur, fieri vix potest quin cogitemus de singulis gaudii commotionibus, quae repente nascuntur celeriterque restinguuntur, ita ut exhibeant gaudia vim vere plurativam. Ac tamen nihil subest nisi summi superbique gaudii significatio; pertemptare pectus autem est: pectus totum — id vocula per indicatur — capere, addita cogitando notione repentini ac rapidi. Sic etiam V, 828: „Hic patris Aeneae suspensum blanda vicissim Gaudia pertemptant animum,“ quo loco vicissim vocabulum facit ut fortius opponantur gaudia animo suspenso (cf. IV, 80). Nec, puto, quemquam latebit, sensum sic exortum his locis multo melius convenire. Contra ad locum qui legitur VII, 355, Ladevici explicatio admodum adcommodata videtur. — III, 713: „Nec vates Helenus, cum multa horrenda moneret, Hos mihi praedixit luctus.“ IX, 500: „Illam incendentem luctus Idaeus et Actor — Corripiunt interque manus sub tecta reponunt.“ Cat. 64, 71: „Ah misera, assiduis quam luctibus externavit Spinosas Erycina serens in pectore curas.“ cf. v. 226; 65, 15. At A. X, 755: „Jam gravis aequabat luctus et mutua Mavors Funera“ luctus insolita quadam metonymia significant res de quibus luctus est, id quod enuntiato quod sequitur: mutua funera, clarius, quamquam et ipsum metonymice, indicatur. Ac dolores quoque afferendi sunt, si modo intelleguntur animi dolores. I, 25: „Necdum etiam caussae irarum saevique dolores Exciderant animo.“ V, 5: „duri magno sed amore dolores Polluto notumque furens quid femina possit.“ — Denique huc vocamus pectora et corda, si metonymia quadam usurpantur. V, 816: „His ubi laeta deae permulsit pectora dictis;“ exstat prolepsis, de qua jam vidimus. VIII, 29: „Aeneas tristi turbatus pectora bello.“ X, 151: „violentaque pectora Turni Edocet.“ VI, 49: „set pectus anhelum Et rabie fera corda tument.“ 80: „fera corda domans.“ 407: „tumida ex ira tum corda residunt.“ I, 722: „vivo temptat praevertere amore Jam pridem resides animos desuetaque corda.“

Haec habui quae de infinitorum genere exponerem. In finitis vero, quae materiam quandam designant, expediendis prorsus eodem modo distinguendum est. Ac talia nomina pluraliter saepissime et ab omnibus scriptoribus usurpari, ut significentur res, quae ex materia illa de qua agitur nascuntur vel conficiuntur notum est. Quorum

quae a Vergilio ita posita inveni quamquam ad propositum nostrum proprie non pertinent, jam in conspectum dabo: glacies G. IV, 517. nives A. XII, 84. tura Ecl. VIII, 65. frumenta A. IV, 406. rores G. I, 385. mella i. e. guttae mellis, quia antiqui mel de arborum foliis stillare putabant, IV, 35; A. IV, 486; cf. Ov. Met. I, 112, quem locum Heynius affert ad Ecl. IV, 30. cruores A. IV, 687. fontes II, 686. fluvii G. III, 445. lymphae A. IX, 23; I, 701. latices IV, 512. vina VIII, 275; VII, 147. venena Ecl. VIII, 95; G. II, 130. Sed de A. VII, 341 vide Heynium. sulfura pices cerae G. III, 449 seq. fumi IV, 230. aera A. VIII, 451; VI, 847. G. III, 363. I, 480. harenae A. I, 107; III, 557; IX, 714; G. III, 350. II, 106. 139. cineres i. e. reliquiae quae cinis factae sunt A. II, 431; IV, 427; V, 55; 81; VI, 226; X, 59; Ecl. VIII, 100; sed si translato more usurpatur cinis, singularem poni consentaneum est A. IV, 552. 623. — Aliud vero est, si verba quae, quamquam et ipsa materiae notionem continent, latius tamen patent, pluraliter ponuntur. Neque enim tum metonymia intellegenda est, sed remanet significatio singularis, quae certo quodam modo ex notionis indole accuratius definiatur. Atque quum dividua possit cogitari omnis materia, talibus locis adsimilari formam singulis notionis partibus nobis sumendum est, et videndum quae ad unum quodque verbum accedat significatio propria eo quod partes ejus fortius acuuntur. Jam vero patet, sicut ea quam in animi affectibus ingressi sumus via explicandi ad meram qualitatis gradationem indicandam tandem evaserit, hanc rationem saepe ad quantitatis gradationem proxime accessuram esse. Nimirum in omnibus vocabulis, de quibus in §. 1, 1 egimus, latet materiae cujusdam notio, quae nisi adesset, de gradatione tali ne cogitari quidem posset. At discrimen interest inter verba, quorum natura maximam partem in materia aliqua cernitur, atque ea in quibus aliae rationes graviores sunt. Haec vero si ad adsimilationem referremus, vix recte ageremus, imprimis quum exstent tot tamque clara exempla gradationis, quae ad qualitatem spectat. Eo magis in quantitate augenda sic egisse putandi sunt Romani. A. I, 191: „tum volgus et omnem Miscet agens telis nemora inter frondea turbam;" elucet plura nemora haudquaquam esse adgnoscenda. Adducit autem pluralis numerus animum ad singulas nemoris arbores considerandas, neque a vero aberrabimus, si explicaverimus: nemus densum arboribusque confertissimum. Simul aptissimo modo extollitur vocabulum quod est frondea; nam ubi confertae sunt arbores, frondis quoque uberior est copia. 310: „Classem in convexo nemorum sub rupe cavata Arboribus clausam circum atque horrentibus umbris Occulit," res est eadem, conferas modo v. 165: „horrentique atrum nemus imminet umbra." G. III, 393: „Pan deus Arcadiae captam te, Luna, fefellit In nemora alta vocans; nec tu aspernata vocantem." Quamquam concedamus oportet, haud raro inveniri singularem talibus locis, quibus pluralis melius convenire videatur; sic A. VII, 775: „At Trivia Hippolytum secretis alma recondit Sedibus et nymphae Egeriae nemorique relegat." — Idem usus transferri potest in verba sensu similia. VI, 195: „cursumque per auras Dirigite in lucos, ubi pinguem dives opacat Ramus humum," i. e. in lucum, qui ar-

borum ubertate ramum aureum occulit abditumque tuetur, cf. 138 seq.: „hunc tegit omnis Lucus et obscuris claudunt convallibus umbrae.“ VII, 11: „Dives inaccessos ubi Solis filia lucos Adsiduo resonat.“ 82. 697. 172: „Tectum — Urbe fuit summa, Laurentis regia Pici Horrendum silvis et religione parentum.“ — Neque frons, quamvis sit notio generalior, ab hac adsimilatione abhorret, atque significationem densae frondis adsumit. 565: „densis hunc frondibus atrum Urguet utrimque latus nemoris,“ cf. XI, 523. X, 190: „Populeas inter frondes umbramque sororum Dum canit.“ G. II, 55: „Nunc altae frondes et rami matris opacant,“ et saepius. Simili modo exhibentur gramina pro gramine laete virente. A. VII, 655: „Post hos insignem palma per gramina currum Victoresque ostentat equos.“ G. I, 56: „atque injussa virescunt Gramina.“ Sed A. VII, 809: „Illa vel intactae segetis per summa volaret Gramina“ veram habemus metonymiam. — Denique Ecl. III, 20: „tu post carecta latebas.“ — Convertamur jam ad alia verba, quae mare lacum flumen fontem indicant; ac primum quidem de frequentissimis aequoribus nonnulla commemoranda sunt. Significat autem aequor proprie omnem planitiem et terrae et aquae, versamurque in angustiis, nonne, ubicumque pluraliter invenitur, nobis accipiendum sit, poetam re vera multitudinem aliquam spectasse. Quod veri simile videtur iis locis ubi de terra agitur, quia quum verbum singulariter legitur, notio unius campi plani semper clare elucet. Conferas quaeso quae sunt A. VII, 728: „quos de collibus altis Aurunci misere patres Sidicinaque juxta Aequora;“ 738: „Sarrastis populos et quae rigat aequora Sarnus,“ atque 781: „Filius ardentis haud secius aequore campi Exercebat equos;“ IX, 68: „quae via clausos Excutiat Teucros vallo atque effundat in aequor“ (ex Ribbeckii conjectura admodum probabili); X, 444: „Haec ait, et socii cesserunt aequore jusso;“ 451: „fatus medium procedit in aequor.“ Sed si de mari cogitandum est, ut adsimilationem intellegamus adducimur cum analogia tum ipsis locis frequentibus, qui quasi poscunt notionem singularem. Consideremus I, 43: „Disjecitque rates evertitque aequora ventis.“ Ac nemo non sentit, hoc loco multo minus id agi ut pelagi plana longe lateque patentia designentur, quam ut imago maris rabidi turbidissimique fortius extollatur. Quodsi quaerimus, quaenam rerum multitudo in mari facile compareat, ad undas fluctuantes statim defertur animus, unde efficitur ut aequora hoc loco valeant aequor undosum; prolepsin vero, quae inest, jam cognovimus. Sic etiam III, 668: „Verrimus et proni certantibus aequora remis.“ X, 166: „Massicus aerata princeps secat aequora Tigri,“ nec puto aliter se habere quae sunt 214: „campos salis aere secabant.“ Idem indicatur motus VII, 464: „Exsultant aestu latices.“ Sed potest etiam adhaerere animus singulis maris partibus ita ut latitudinis notio augeatur, qua quidem in re concedendum est, non posse semper accurate dispici num forte re vera de pluribus aequoribus cogitaverit scriptor III, 413: „Laeva tibi tellus et longo laeva petantur Aequora circuitu.“ VII, 228: „Diluvio ex illo tot vasta per aequora vecti,“ quum de Cyclope qui in mare progreditur, ut oculum effossum lavet, dicatur III, 664:

„graditurque per aequor.“ X, 103: „Tum Zephyri posuere, premit placida aequora pontus.“ Quare saepius valent aequora pelagus apertum. III, 662: „Postquam altos tetigit fluctus et ad aequora venit.“ VII, 7: „postquam alta quierunt Aequora, tendit iter velis portumque reliquit.“ Etiam ad profundum deduci possunt hoc plurali legentes. IX, 119: „Delphinumque modo demersis aequora rostris Ima petunt.“ Commemorandum tamen est, frequentissimum et singularem inveniri, poetamque saepe metro videri indulsisse, id quod imprimis ex ablativi singularis usu uberiore elucet. VII, 811: „Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti Ferret iter celeris nec tingueret aequore plantas.“ 196: „neque enim nescimus et urbem Et genus auditique advertitis aequore cursum,“ i. e. per aequor ut saepe. Sed etiam si non de ablativo agitur. X, 233: „Rupimus invitae tua vincula teque per aequor Quaerimus.“ 269: „totumque adlabi classibus aequor.“ — maria dubito num aliter inveniantur posita nisi pro mari patente. V, 9: „maria undique et undique caelum.“ X, 197: „longa sulcat maria alta carina.“ V, 790: „tu testis in undis Quam molem subito excierit: maria omnia caelo Miscuit Aeoliis nequiquam freta procellis,“ intellege: totum et vastum mare; adducimur enim verbo quod est molem, ut de laboribus summis atque operis cogitemus, quas consumpsit Juno ut Aeneam perderet. Quae si recte habent V, 212: „Prona petit maria et pelago decurrit aperto“ non cum Ladevico explicanda sunt maria prona per: die mit der Fluth zum Lande eilenden Wellen, sed cum Heynio faciamus, qui dicat: mare patens in quo cursus pronus ac celer sine impedimento fit. Marium vel maris alti partes sustinent etiam alta sine nomine substantivo usurpata. II, 203: „Ecce autem gemini a Tenedo tranquilla per alta — angues Incumbunt pelago.“ Quem usum Wagnerus rarissimum habet, Ladevicus hoc uno fortasse loco obvium. Invenitur autem praeterea VII, 362: „Nec matris miseret, quam primo aquilone relinquet Perfidus alta petens abducta virgine praedo?“ VIII, 691: „Alta petunt, pelago credas innare revolsas Cycladas.“ IX, 81: „Tempore quo primum Phrygia formabat in Ida Aeneas classem et pelagi petere alta parabat.“ Fortasse etiam G. I, 142, de quo loco videas Hanovii sched. crit. pag. 3. — Quae restant verba similia, ita se habent, ut novi aliquid plurali non videantur adsumpsisse, nisi quod in universum vividior excitatiorque redditur notio, ut decet elocutionem poeticam. Quare simpliciter ea enumerasse satis habeo. A. I, 557: „At freta Sicaniae saltem, sedesque paratas — petamus.“ II, 312: „Sigea igni freta lata relucent.“ G. II, 164: „Tyrrhenusque fretis immittitur aestus Avernis.“ A. III, 386: „Et salis Ausonii lustrandum navibus aequor Infernique lacus.“ 442: „Huc ubi delatus Cumaeam accesseris urbem Divinosque lacus.“ VI, 134: „si tanta cupido Bis Stygios innare lacus bis nigra videre Tartara“ cet. VIII, 296: „Te Stygii tremuere lacus.“ VII, 760: „Te nemus Angitiae, vitrea te Fucinus unda, Te liquidi flevere lacus.“ VI, 323: „Cocyti stagna alta vides Stygiamque paludem.“ VIII, 713: „Nilum — vocantem Caeruleum in gremium latebrosaque flumina victos.“ IX, 585: „Eductum Matris luco Symaethia

circum Flumina.“ X, 113: „Stygii per flumina fratris — Adnuit.“ XI, 659: „Quales Threiciae cum flumina Thermodontis Pulsant — Amazones.“ XII, 331. G. III, 18. 180. IV, 278. Ecl. I, 51 cum Wagneri explicatione. Cat. 64, 89: „Quales Eurotae progignunt flumina myrtus.“ cf. v. 360. G. IV, 233: „Taygete simul os terris ostendit honestum Plias et Oceani spretos pede reppulit amnis.“ A. IV, 143: „Qualis ubi hibernam Lyciam Xanthique fluenta Deserit — Apollo.“ XII, 35: „recalent nostro Tiberina fluenta Sanguine.“ G. IV, 369: „Aniena fluenta.“ — Aera plerumque per metonymiam dicta sunt. Duos tamen observavi locos, ubi adsimilatio exstat, quorum alter legitur A. IX, 809: „saxis solida aera fatiscunt,“ alter est X, 336: „illa volans clipei transverberat aera.“ Utroque loco quodammodo est notio diffringendi, quae provocavit pluralem. —

Menda typothetae:

pag. 7, lin. 17 legendum: ceteroquin. — p. 12, l. 38: repraesentatae. — p. 13, l. 36: Phaethontem. — p. 16, l. 23: suprascribendum A. — p. 26, l. 30 leg.: Aetnaea. — p. 38, l. 16: hydris. —

SONDERSHUSAE
IN AEDIBUS F. A. EUPELII.

Family per

8/16/2